Quod Deus felix fauſtumq; eſſe jubeat.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

De

COMMERCIORUM NAVALIUM JURE SINGULARI,

Quam

Spiritus Sancti gratia adſiſtente,

Authoritate & Decreto Nobiliſſimi, Ampliſſimi, & Conſultiſſimi JCtorum Ordinis, in Celeberrima Academia Wittebergenſi,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Magnifici, Ampliſſimi, Conſultiſſimi, atq; Excellentiſſimi

DN. AUGUSTINI STRAUCHII

JCTI & Profeſs. Publ. Supremi Appellationum Judicii Conſiliarii, Curiæ Electoralis, Conſiſtorii Eccleſiaſtici, Scabinat. & Facultat. Juridicæ Aſſeſſoris Graviſſimi: Dn. Patroni, Præceptoris, atq; Promotoris, omni animi cultu devenerandi.

PRO LICENTIA;

Privilegia ac inſignia Doctoralia capeſſendi concedendiq; publicæ disquiſitioni exhibet,

ad diem Septembr,

HERMANNUS HELM, Holſato-Dithmarſus.

WITTEBERGÆ, Ex Officinâ Johannis Haken, M DC LII.

CUM DEO.

COmmerciorum Natales inquirere, deq; eorũ felicitate & præſtantia quadã proœmij loco præmittere dum conſtituo, tanta diſcrepantium ſententiarum occurrit varietas, ut certi quid præmittere hac quidem in parte vix habeam: vetuſtiores parsq; conſentientium Gentilium maxima aſſcribunt Mercurio, quem commerciorum omnium Patronũ credebant, dictumq; quaſi à CURA MERCIUM teſte *Arnob. Feſt. Fulgent. Diodoro & Cicerone l.3. de naturâ Deor.* Ubi quinque diſtinctas Mercuriorum facit ſpecies, quarum tertiam huic conſecrat negotio. *vid. Antiq. Rom. Roſin. lib. 2. c. 9. Galli.* eundem negotiorum antiſtitem venerabantur, teſte *Julio Cæſare in lib. de bell. gall. Galli:* inquit, *maximè Mercurium colebant, cujus plurima apud eos erant ſimulacbra, bunc enim omnium inventorem artium ferebant, bunc viarum atq; itinerum Ducem, bunc ad quæſtum pecuniæ mercaturasq; vim maximam babere arbitrabantur.*

(2) *Plinius vero lib. 7. biſtor. nat. cap. 56.* arceſcit eorum originem à *Libero* Patre & *Pœnis*, cum quo illud *Ezech. 27. cũ Carthaginenſes negotiatores tui à multitudine Cunctarum divitiarũ, argento, ferro, plumbo, atq; ſtanno impleverunt Nundinas tuas*, conſentire exiſtimat. *Greg. Thol. Syntagm. J. un. lib. 25. Cap. 2. 12. 13.* Sententiæ

horum omnium, ut ut conciliari poſſent, ne quicquam tamen adducimur calculum adjicere edocti *ex 1. Antiquit. judaic: Joſeph:* & apud *Hebræos* multo ante horum ætates in uſu fuiſſe, vel etiam *Noæ* temporibus, & apud *Lydos* primos inſtitores fuiſſe teſtatur *Herod. in lib. 1.*

(3) Jam incerta licet ſit facta eorum origo, illud tamen conſtat eſſe antiquiſſimam, eòq; nobiliorem, quò antiquior, venerandæ enim vetuſtatis maxima eſt autoritas. *Novell, 23. cap. 3.* ut vel in de ſolum inclareſcere poſſet ipſorum commercior[illegible]ſtantia, niſi & à primis usq; temporibus eam c[illegible]mendaſſent præſtantiſſimi quique omnium ordinum; id quod tàm ex ſacris quàm profanis facillime probabitur, certe ſi evolvimus ſcriptores Ethnicos, reperiemus maximũ Deorum, Regum, Principum, Philoſophorum, aliorumq; maximorum virorum cumulum, qui hiſce operam ſuam manciparunt *Dyon. Halicar. lib. 3.* [illegible]*tur*, id de *Tarquinio Prisco Rege Romano*, de *Veſpaſ. Imp. Svet.: in vita, de Pertinace, Julius Capitol: in vita, & Plutarchus.* meminit *Solonem* juvenem ad mercaturam ſe contuliſſe peregrinandi atq; videndi magis, quam lucri cupiditate impulſum, ut ſapientiæ ſtudioſum, qui & poſt habitus, Inter *Græcos Sapientiſſimus eſt. Thaletem* quoq; & *Mathematicum Hippocratem* negotiatos, & *Platoni*, etiam inter meditationes divinas, olei in *Ægyptum* exportationem, viaticum peregrinationis ſuppeditaſſe; qui deinde cum formaret Rempublicã Mercatores eſſe, de eſſentia bene conſtituti ſtatus aſſerebat *in 2. ſuo de Republica. Ariſtot.* vero in iis libris quibꝰ informat *Politicũ*, præcepta tradit, de Mercatoribꝰ ut oſtẽderet, ad ſapiẽtiæ perfectionẽ facere, Unde perſvaſi

ſvaſi veteres plerique non iracundum *Martem* huic negotio, non laſcivam *Venerem*, non claudicantem *Vulcanum*: ſed ingenioſisſimum *Deorum Mercurium*, illum eloquentiæ & Sapientiæ inventorem, præfectum crediderunt. Ut ne tamen Indefinitam relinquamus hanc ſententiam, Ortum Commerciorum ad ea tempora, quo rerum Dominia primo diſtingui & jus gentium introduci ceperunt, referre non dubitabimus.

(4) Eandem vero etiam nunc haud exiguo mortalibus auxilio eſſe conſtat, quando in aſportandis rebus vitæ humanæ neceſſariis ubique locorum ſuppeditat, multarum quoque & maximarum rerum uſum & experientiam, homines edocet, ad Barbarorum inſuper neceſſitudines Regumque amicitias contrahendas plurimum valeat. Unde nec abuſus nonnullorum, qui pecunias uſuris fallaciſſimis circumventionibusque corradunt, vel propalarum more, per fora vagantur, ementes, ut carius nobis vendant, uſum ipſum tollere, & artis præſtantiæ quicquam derogare potis eſt: viliſſimos enim hoſce & impropriè ſic dictos à genuinis mercatoribus cũ *Cic.* ſeparamus: nãq; ut *primo officiorum* loquitur, *ſi tenuis, ſordida putanda eſt, ſi magna & copioſa multa undiq; apportans, multis ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda, atq; etiamſi ſatiata eſt quæſtu vel contenta potius, ut ſæpe ex alto in portum, & ipſo portu ſe in agros poſſeſſionesq; contulerit, videtur jure optimo laudari poſſe, ut ſordidos haberi dicit eos, qui mercantur, à mercatoribus, ut ſtatim vendant: nihil enim illi proficiunt, niſi admodum mentiantur, inquit Tholos. l. 47. Syntag. jur. Un. c. 10.*

(5) Licet autem in Jure Civili non adeo expreſſe fa-

veatur negotiatoribus, videmus tamen hinc inde plures immunitates ipſis conceſſas eſſe & privilegia *per L. 5. ff. de jur. immun.* quæ deinde ſuccesſu temporis mirũ quantum aucta ſunt, ut plane ſupervacuum ſit vetuſtam illam diſceptationem, ſub incudem revocare, qua de mercatura JCtis & antiquitatum ſcriptoribus non conveniebat: quorũ pars eò progrediebatur ut mercatores ex albo civium eximere non vererentur, ut hoc ipſum ex *Dyoniſ. Halicar.* planum fit, qui cives cenſos fuiſſe ſcribit ſupra centum millia, mulierum autem & mercatorum & ſordidas artes exercentium triplo plus, quàm turbæ civilis. Videmus enim *Romæ* hanc opinionem, quâ mercatura virtutibꝰ inimica ſtatuebatur *Plato in LL. Ariſt. l. 7. Politic.* in deſvetudinem jam diu abiiſſe, *Erat quidem olim quæſtus omnis, ut inquit Liv. Patribus indecorus*; ſed legem hanc ſua quidem ætate jam mortuam eſſe dixit *Hortenſius, ut eſt apud Cice.* ex quo intelligitur non modo cæteris civibus id ſalva dignitate cujusque licuiſſe, verum etiam ne ſenatores quidem à mercatura abſtinuiſſe, aut certe inſtitores habuiſſe. *Bod. 3. de Rep. c. 8.* Ut hoc patriciis quoq; *Venetis Hiſpan. Anglic.* in more poſitum; Equitibus vero Rom. mercaturam conceſſam, aut certe vetitam non fuiſſe, *arg. eſt illud Cic. in Verrem: Lucius Pratius ſplendidisſimus Eques Romanus qui Panormi negotiatur, & Quintus Mutius Eques Romanus Syracuſis.* Quamvis nunc temporis, utcunq; olim in laudibus fuerit habita, Nobiles dignitatem amittant, ſi mercaturæ operã dederint, ut ab exercitiis equeſtribus abſtrahantur.

(6) Mercaturam eſſe antiquiſſimum contractum juris gentium, ſummæ utilitatis atque neceſſitatis

cauſa

cauſa introductum ex hactenus allatis evidens eſt, eademque opera viſum, quæ propriè mercaturæ nomine veniat, laudemque hanc & dignitatem mereatur, quâ ſine non ſtare poſſit nec perfecta eſſe Reſp. ubi auxiliatrices iſtæ manus abfuerint. Scripſerunt multi, multa in laudem rerum & maximarum viliſſimarumque. Ille cantavit laudes Culicis, hic pulicis, alter catelli. Si qui tamen præfuere Reipub. eâ ſeligerunt maximè, quæ eſſent utilia & proficua eidem gubernandæ. Quorum ingens poſſit adduci catalogus, ita de *nobilium* privilegiis ſcripſerunt *Nolden. Tyraq. Fritz.* pacis & belli *Grotius*, legatorum *Frider. à Marſ.* mercatorũ tamẽ & quidẽ maritimorũ privilegia, qui hac quidẽ methodo in unũ quaſi faſciculũ collegerit quod memini, vidi neminem. Forte quod vel veterum hæſerit de non toleranda ſententia, vel nimis quotidiana & vulgaris facta mercaturæ dignitas eviluerit. Arriſit itaq; hæc materia & quidem ea in ſpecie quæ occupata eſt circa negotiationem maritimam.

7. Dicitur hæc ipſa *Hiſpanis* res mirabilis atque periculoſa *Vasq. illuſt. quæſt. cap. 20. n. 11. Pek. l. 1. n. 4. ad l. Rhod. de jact.* at neceſſaria tamen *Strach. in tract. de mercator.* adeo ut mirabilis earundem, periculoſa item futura tractatio ab inſtituto revocare me poſſet rectius; præſertim cum tam pauca circa hanc materiam ſcripta inveniantur. Nihilominus cum in iis locis naſci contigerit quæ crepant mera *nautica & navalia exercitia* idque non levi tangar deſiderio accuratiorẽ aliquanto hac in re adipiſci cognitionem, ſtetit ſententia. Quæcunque igitur ex operoſa & multivaria lectione colligere datum ea nunc quod felix fauſtumque

que

que Deus eſſe jubeat, exhibeo. Dicetur hic non quantum ſufficit nec quantum deberetur, ſed quantum potuimus. Cætera excuſabit ingenii tenuitas & materiæ periculoſiſſimæ raritas, ut eam ita laudat *Rutger. Rul. in tractatu de commiſſar. & commiſſio. Camer. Imp. part. 4. l. 2. cap. 9. de navigationum interrogatoriis.*

DE commerciis Navalibus tractaturi Jure merito legimus veſtigia *Imperat. Sacratiſſ. in Conſtit. tanta de confirm. & concept. ff.* ubi dicit, ſe jus in *unã redegiſſe conſonantiã, in competentem formam & §. 2. proœmij in luculentam conſonantiam*, ut igitur eandem huic tractatiunculæ fœneremur pulchritudinem, accuratiori methodo ſtudebimus, ſecundum quam præmittimus thematis originem.

Th. I.

Origo Commerciorum Navalium,

§. 1. Navalia commercia unde dicantur in propatulo eſt. Navis quidem *à græco νάω, i. e. fluo, vel latino No. quod eſt nato, vel à Navo.* Commercia vero, à mercibus, unde commercia navalia ſunt quæ navibꝰ exercentur. Ubi ſtatim patet nos (1) ſtrictiori ſignificatione accipere vocabulum commercium pro ave-

hendis & apportandis mercibus, non qua ad omnia conventionum & alienationum genera omnesque omnino res, quas homines habere poſſunt, extenduntur *ab Alex. in l. cætera §. etſi ff. de legatis.* (2) pro rebus mobilibus, (excepto tamen homine ex mente *JC. Paul. in l. 34. §. 1. & 2. de contrah. empt. l. 267. ff. de V. S.*) utpote quæ nomine mercium propriè veniunt *l. 66. eodem l. ult. ff. de condict. tritic. l. fin. §. quoties ff. de publ. & vectigal. l. 1. §. unde apud 6. ff. nautæ caupones. facit etiam l. 22. ff. de A. & O. l. 23. § fi. ff. de leg. 3.* Rationẽ aſſignat *Gœdd. ad d. l. 66.* hãc, quod cũ merx ſit à cõmercãdo, quod ſignificat nundinari, res autem immobiles à nundinis hiſce ad illas comportari nequeant; etiam merces nõ ſint dicendæ. Navem autem hic intelligimus non *marinam* ſolum ſed & *fluviatilem*, ſive in ſtagno aut in portu conſiſtat, quæ Græcis vocatur *συνεδρια*, ſive ratis ſit, quæ Græcis vocatur *σχέδια* (Floſs) quæ eſt compago connexarum trabium, quâ utebantur ſine dubio antiqui ante navium inventionem *l. 1. §. 6. de exercitor. act.* ibidemq; *Budæus l. 42.* eodem.

§. 2. Quando autem equo ligneo, ut Plautus loquitur, per ceruleas vias primo vectum ſit, æque certum eſt, ſecundum pleroſque quam quo tempore mercatura ceperat. Formam navigiorum à piſcibus tractam eſſe, qui cauda reguntur, & levi ejus in utrũque momento velocitatem flectunt, exiſtimat *Senec. l. 14 Epiſt. 9.* ubi dicit *hominis non ſapientis inventum eſſe. Strabo tamen fabuloſe refert l. 10. Georg.* primum Mari imperaſſe *Mynoem*, quod *Dyod. Syc. l. 6.* Neptuno tribuit, & quia primò claſsẽ mari duxerit, maris imperatorem à *Saturno* (cujus & *Rheæ* erat filius) factum eſſe; idque ſecundum *Cretenſes*, qui omnino jam pridem

prin-

principatum navigandi tenuerunt, adeo ut in proverbium abierit *Cretenſis neſcit Pelagus*, in eum, qui, quæ probe novit, ignorare diſſimulat. Quamvis alii aliter ſentiant, ut refert *Polydorus Virg. de rerum invent. l.3.c.15. ubi ex Plinio l.7. & Quintil. l.10.* idem ſtatuente memorat, inventis ratibus inter Inſulas in mari rubro ab *Erythra* Rege navigare ceptum eſſe, quas ipſas tamen nec *Erythram* Regem, ſed *Myſios & Trojanos* priores invenifſe in Helleſponto, cum adverſus Thraces tranſirent, exiſtimant alij. At qui ſequuntur *Euſebium l.1. de Evang præp.* à Samothracis. Qui *Clementem*, ab *Athlante*. qui *Tertullianum*, *à Minerva* navigationem inventam eſſe ſtatuunt: *Polyd. Virg. vero non quibusdam Noacho junioribus* (ut hoc ipſi falsò tribuit. *Pet. Greg. l.1. c. 3. Syntag. Jur. Un.* his ipſis verbis:) Sed *Noacho* ipſi, ita enim *dict. cap.* inquit, *verum ego hoc aliquando verius, ut par eſt, Noæ tribuendum judico, qui ex Teſtimonio Euſeb. l.10. de præp. Evang. perdiu ante Danaū & Neptunum fuit, is enim vir Sanctus & innocens ut aquarum vim evaderet, arcam ſibi ligneam fabricatus eſt, quæ haud dubio nihil aliud fuit quam navis & condendarum diverſi generis navium primum ac unicum poſteris exemplar, & paulo poſt, non injuria igitur & navigandi & condendarum navium, uſum primo â Noe, ante quem quod memoriæ prodltum ſit, nemo mare tentaverat, fluxiſſe credere convenit.* At quibusdam *Noe* junioribus variorum generum condendi navigia inventionem à *Polyd.* tribui, negari non poteſt, cum longa ſerie ibidem commemoret Autores illorum; ſic longam ædificaſſe *Jaſonem* qua apud *Ægyptios Seſoſtris* Rex uſus ſit, probat ex *Diodor. Biremem Erythreum, triremem*

Amo-

Amoclem Coryntbium inveniſſe ex *Thucid.*, quadriremem *Cartaginenſes ex Ariſtot*: multoque plura navium genera vide ſis *ap. Salmuth in notis ad lib. 1. tit. 37 Pancirolli, Dempſterum in paralip. ad caput 32. lib. 7. Antiquit. Roſini.*

§. 3. Verum enimvero quæ hic magno conatu exhibet *Polydorus*, ea pleraq; frigidè congeſta eſſe clare pronunciat *Dempſterus homo Scotus. d. loc.* aſſerendo non *Jano*, non *Herculi*, non *Phœnicibus* aut *Tyriis*, ut eſt in fabuloſis poetarum narrationibus, & ne *Jaſoni* quidem inventionem navium deberi, ſed *Britannis*, idque probat ex *Plinio lib. 4. c. 16.* ubi dicit *Britannos* vitilibus navigiis coriis circumſutis navigare, & ex *lib. 7. c. 56.* Naves in *Britannico Oceano vitiles corio circumſutæ fiunt* pro quo *M. S. Foxonienſe utiles* habere teſtatur, & in priori loco *vilibus*, & quidem rectius, cum in Britannia vitis nomen ne audiatur quidem, unde ille exiſtimat non è *vite* ſed vimine facta navigia eſſe, quod & *polyhiſtori Solino* placet *c. 28. navigant vimineis alveis* quos circumdant ambitione tergorum bubulorum; alveos pro navibus ſumi docet *Philipp. Beroald.* in ſuis *in ſervium annotationibus* §. 12. & de hoc navium genere interpretandus locus *Virgilianus* lib. 6.

—— ——Gemuit ſub pondere cymba
Sutilis & multam accepit rimoſa paludem.

Illud equidem certum eſt, primo ratibus & non tali forma navibus antiquos uſos fuiſſe, quod vero rates ex numero navium & denominatione omni ſint ſeparandæ, non facile dixerim. Omnia in univerſum quæ nunc polita ſatis ornatisſimaq; conſpiciuntur, ita intra initium ſuum non ſteterunt, quis autem cõcluderet, quas olim domos homines Diiq; habitarunt,

nomine ædium templorumque inſignitas non fuiſſe, nec nobis ita dici poſſe, quod nunc ornatiores forte & aptiores conſpiciantur. Unde numne popularibus ſuis indulgeat *Dempſterus*, ipſe videat. Nos, utut conſtet ex ſacris, & *Noam* primum navigaſſe, & præſumptio aſſiſtat fortisſima, ad hujus exemplar poſteros, deinde plures ædificaſſe; ſine omni tamen verecundia & tutius eundem huic rei, quem mercaturæ terminum à quo, conſtituimus. Quibus præmiſſis progredimur nunc ad rem ipſam.

Th. II.

Privilegium (a) eſt jus quoddam ſingulare (b) ob utilitatis aliquam & æquitatis publicæ rationem (c) contra communis juris regulas indultum (d).

(a) Vox privilegium aliàs ambigua eſt, in utramq; enim accipitur partem; ita *Cicer.* privilegium de ſuo capite latum eſſe ſcribit *in ſua pro Domo*, meliore tamen ſignificatione hic adhibetur. Quæ autem veteres dixerunt privata, nos dicimus ſingularia *Calvin. in Lexic. verb. privileg.* quaſi nova lex, quæ privatim addi-

addita fuit; Dd. vero deducunt communiter à *privo* quaſi privans legem *Jaſ.in l.fin.num. 27.ff. de conſlit ut princ.Oldendorp.tract. de jur.ſing. VVeſenb. in addit. ad Schneidvv.inſlitut.de J.N.G.& C.* diſtingvuntur autem privilegia in *perſonalia* & *realia*, *perſonalia* ſunt, quæ certis tantum perſonis conceduntur, quibus mortuis & illa mortua eſſe cenſentur *per l.196. de R.J,l.1.§.2.ff. de conſtitut.princip. c.privilegium de R.J.in 6.* Horum numero eſt, quod marito & mulieri ratione dotis competit, cujus reſpectu maritus non in ſolidum cõvenitur, ſed in id quod facere poteſt. §.*item ſi de dote 37.Inſtitut,de action. Realia* vero ſunt quæ favore ſoliq cauſæ ſunt indulta, ut *Paulus definit in libro ſingulari de dotis repetitione l.68.ff.de R.J.* & hæc nunquam, niſi cauſa pereunte cui data ſunt, intereunt, *d.l.196.ff.de R.J.l.3.§.fin.ff.de cenſib.l.4.ff.ex quib.cauſ.maj.* Hujus generis privilegia ſunt quæ *Academiis civitatibus* vel *Familiis* integris tributa ſunt, hæc enim non perſonis in præſenti, ſed omnibus in futuro conceſſa intelliguntur *per d.l.3.& 4.§.quanquam de cenſ.vid. Philipp. Matth. ad l.68.ff.de R.J.*

(*a*) *l.16.ff.de ll.* idq; ad differentiam juris communis, *l.3.4.5.6.ff.de ll.* quo jure varias habet denominationes, dicitur enim & beneficium *l.pen.ff.de conſlit. Princ.l. ult.de adopt.*prælatio,*d.l.68.de R.J.* dicitur prærogativa *ſub t.t de priv.Creditor,in l.fin.C.de fructib.* item conceſſio *l.1.pr.ff.de teſtam.milit.* immunitates *l.18.de V.S* indulta *l.2.§.2.de his qui notantur infam. de jure canonico* vero diſpenſatio dicitur. Et hæc omnia ut ut nomine differant, re tamen profuſ conveniunt.

(*c*) *per d.l.16.* neque enim juri naturæ aut utilitati publicæ privilegium adverſari debet, vel ut *Accurſius*

 exiſti-

exiſtimat legem privare, ſed potius ſalva juſtitia & æquitate legem ſupplere in iis caſibus ad quos jus commune accommodari non poteſt. *Phil. Matth. d. l. 68. pr.* ſecus ſi ſe habeat, non tam privilegia ſunt, quam lex tyrannis. *Cicero de leg.* & hic verus ſenſus eſt *legis ultimæ C. ſi contra jus vel util. publ.*

(*d*) *per l. 14. 16. ff. d. ll. l. 2. C. eodem. l. 141. ff. de R. J.* & in hoc beneficium differt à privilegio, quod privilegia dantur non niſi benemerentibus contra jus commune: & beneficia virtutem antecedant, illa non niſi ſequantur, ut notat *Bodin. 5. de Rep. c. 3. Dn. Reinking lib. 2. claſſ. 2. c. 8. per totum.*

TH. III.

Cauſa efficiens horum privilegiorũ eſt vel propria autoritas (*a*) vel conceſſa (*b*).

(*a*) Privilegia quippe ſolus *princeps ſummus*, cæterique Reges ac Principes ſuperiorem non recognoſcentes, regalia & jura majeſtatis proprio jure poſſidentes *Sixtin. de Regal. lib 1. c. 4. n. 15.* concedunt. *Bart. in l. infamem. 14. ff. de public. judic. Novell. 6. cap. 2. Zaſius. 1. conſ. 1.*

(b) Quando illi, quibus ſumma poteſtas regalem digni-

dignitatem exercendi datá ſuis ſubditis concedunt quædem privilegia, id, quod faciunt principes & ſtatus Imperii Romano-Germanici certo quodam reſpectu, quo idem ſunt in territoriis ſuis, quod Imperator in Imperio *R. A. de Anno 1611.* tit. Handthabung friedens §. davon befehlen. *Gail lib. 1. de pp. c. 6. n. 10. Reincking lib. 1. claſſ. 5. c. 6. per totum.* & in hunc modum multa privilegia, ac jura ſingularia navigantibuc eſſe conceſſa, hinc inde teſtantur ſcriptores rerum nauticarum. *Deciſiones Genuens. Stracb.* & *conſlit: Hiſpaniæ*: necnon libellus *conſolato del mare Venetiis in quarto excuſus, & ſcriptus ætate S. Ludovici.* videri etiam nō pauca poſſunt hanc rē cóncernentia, *in ſtatut Lubec: & in Tranſaction. ordin. fœd. Belgia cum Regib. Hiſpan. & Anglorum cum Archiduce Burgundiæ. Leges Wisbuicenſes quæ apud omnes Tranſ-benanos in uſu ſunt. Leges Oleronis apud Gallos. Conſtitutiones Nautica Carol: V. & Leges Navales Philippi II. Statuta item Nautica Weſcapellenſium.*

Th. IV.

Cauſa promovens eſt partim neceſſitas ſumma (a) partim laborum moleſtiarū q; (b) compenſatio (c).

(a) *per l. 1. §. licet de exercit. action. l. 1. ff. de nundin.* ubi

ubi Imperator dicit neceſſarios imprimis eſſe iſtos negotiatores, qui invebant & evebant ſingula, ad quæ eleganter *hæc Chriſtoph. Milæus lib. 2. de ſcriptione rei univerſæ hiſtor. nautica ars eſt fructuoſa & ad multiplices res facilius minoreque impenſa transfrendas maximè conveniens, & paulo poſt, ejuſmodi onerariis naviculis omnes undique ad vitam copia aliis ad alios translatis ſuppeditantur, unde apparet, inquit Johann. Hering Oldenburgenſis in tractatu ſuo de molendinis eorumque jure quæſt. 16. n. 21.* nautas pace belloque prodeſſe *Reipubl.* & commerciorum uſum per illos augeri non mediocriter.

(*c*) *per l. elegantiſſimam 5. §. 3. ff. de Jur. immunitatis, unde periculoſam & incertam navigationem* appellat ipſe imperator *l. 6. C. de offic. Rector. provinc.* procellas inexorabiles cum quibus ipſis pugnandum eſt *Bald.* & *Salic. l. 1. C. de fœn. naut.* id quod animadverti etiam poteſt, ex triſtiſſimis epithetis, quæ tribuuntur navigationibus, triſtis dicitur *Horatio l. 1. Odar.* perfida *Sen. in Medea.* mortifera. *Propertio Eleg. 7. l. 3.* ad quē verſiculum *Vaſq. lib. 1. c. 21.* dicit navigationis inventorem fuiſſe inventorem mortis, item navigare ſummum nefas eſſe. Navigationem rem periculoſiſſimam eſſe, negari utique non poteſt, neque negabunt illi, qui unquam in ſeſe vocarunt ceſſantia fata, haut aliter, *ac ſi ad mortem terra parum latè pateat.* Exiguum certe lignum eſt, tàm temere Navigantes cui animas ſuas credunt, imo vix digitorum quatuor ut reſpondebatur *Anacharſi*, qui etiam tantillum à morte abeſſe illos exiſtimat, qui navigant Addit hiſce *Juvenalis* pedes tres in elegantiſſimis ad hunc dialogum verſiculis, qui habentur *Satyra 12.*

I nunc & ventis animam committe, dolato

Con-

Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Quapropter eidem *Anacharſi* dubitatum fuit vivoſne inter habendos eſſe navigantes: quibus *Bias Prinnenſis* philoſophus locum nec inter vivos, nec inter mortuos volebat relinquere.

(b) *per d. l. 5. §.* negatiatores *ff. de jure immunitatis* ubi *JC. Calliſtratus* verbis elegantiſsimis ex mente Imperatoris, ita inquit, *negotiatores qui annonam urbis adjuvant, item navicularii, qui annonæ urbis ſerviunt immunitatem à muneribus conſequantur publicis, quam diu in ejuſmodi ſunt. NAM REMUNERANDA SUNT PERICULA EORUM, quinetiam adhortanda præmiis in ritoplacuit*, ut enim reipub. intereſt ne delicta maneant impunita *l. 18. §. 1. ff. de judic. l. 9. §. 5. ff. de public. & vectig* ita etiam haut parum refert ut ne benemerentibus moleſtiarum denegetur compenſatio. *l. 1. §. 1. in fin. ff. de J. & J. l. fin. C. de ſtat. & imag.*

Th. V.

Cauſa finalis eſt ſumma utilitas.

Per d. l. 2. ff. de nundin. Ubi *Calliſtratus* hæc deducit ex *Platone* quem vocat ſummæ prudentiæ atque autoritatis apud Græcos, quod civitas bene beateque ſine his habitare nequeat; ipſiuſmet verba ſunt deſumpta ex libro ſecundo. πολιτείας.

Αἱ

Δεῖ γὰρ πλείστων ἄρα γεωργῶν τε, καὶ τῶν ἄλλων δημιουργῶν καὶ τῶν ἄλλων διακόνων τῶν γε εἰσαξόντων καὶ ἐξαξόντων ἕκαστα, οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι: id eſt, ut ipſe Caliſtratus vertit, indiget civitas pluribus, item his qui invehant & evehant ſingula, hi eutem ſunt negatiores. *Accurs: ad l. unic. C. de Nundin.*

TH. VI.

Materia, circa quam occupantur hæc privilegia, ſunt perſonæ, res & actiones (a) in quarum tractatione à perſonis, tamquã digniori fiet exordium (b).

(a) Jta univerſum jus quo utimur, aut agit de perſonis, aut de rebus, aut actionibus. §. *fin. inſtit. de J. N. G. & C. l. 1. ff. de ſtatu hominis.*

(b) Quia hominum cauſa jus omne conſtitutum eſt *d. §. fin. & l. 1. ff. de ſtat. hom.* omneſque rerum fructus hominum cauſa natura comparavit ut dicitur. *l. in pecudum ff. de uſur.* ideo etiam primo loco agemus de jure perſonarum ſeu de hominibus, creaturarum illa digniſſima, ut *hic Gloſs. & l. juſtiſſ. ff. de Ædil. edicto.* cum & parum eſſet jus noſſe, ſi perſonæ quarum cauſa conſtitu-

ſtitutum eſt, ignorentur. *d.* §. *fin. Inſtitut.* de J. N. G. & C.

Th. VII.

Perſonarum commercia navalia exercentium non una eſt.

§. Si quis habens navem propriam aut conductã cum qua negotiatur, præponit ipſi aliquem, *præponens* dicitur exercitor germanicè Reeder. *præpoſitus* autem dicitur *Magiſter* (Schiffer.) qui ſervus ne ſit, an liber, proprius an alienus nihil refert *per l. 1. §. 4. ff. de act. exercit. l. item. 5. pr. & l. ult. eod.* & iſti totius navis anchora ſeu adminiſtratio ab exercitore (qui & navicularius dicitur. *(tot. tit. de Navic & Naucl.)* creditur. *per dictam. l. 1. §. 1. eodem fac. l. 57. princ. ff. de V. S.* de præponente etiam notandum eſt, nonnunquam eſſe dominum navis, interdum vero non eſſe dominum, quando ſcil navem per averſionem conduxerit *d. l. 1. §. 15.* ipſumque cujus ſit ſtatus atque ſexus, maſne an fœmina nihil refert §. *16. eod.* pupillus tamen ſine tutoris autoritate nõ admittitur *d. §. 16.* unde patet quod hic vox *exercitor* longa alia ſignificatione uſurpetur, quam *in edict. naut. caup. ſtab.* ubi exercitor dicitur qui navem vel cauponam vel ſtabularium ipſe exercet der da ſelbſt ſchiffwercket / vnd herbergieret / §. *3. vers. quorum opera. inſtit. de obligat quæ ex quaſi delict. l. 1. §. 2. & 5. ff. nautæ. caupon. l. unic. pr. ff.*

furti

furti adv. Naut. §. 2. Porro nec ille tantũ magiſter dicatur, quẽ exercitor principalis præpoſuit ſed & ille qui à magiſtro, tam ignorante quam ſciente Exercitore ſubſtitutus eſt, utrinq; enim & ſubſtituẽtis & ſubſtituti magiſtri facta præſtare tenetur *per l. 1. §. 5. h. t.* ne cõtrahentes decipiantur, idem quod obtinet etiamſi magiſtro interdictũ ſit expreſſim, ne aliũ ſubſtitueret. Reliqua nautarum turba certo ordine diſtinguitur; primores ſunt *proreta* & *gubernator*, prora eſt illa pars navis quæ in appellendo littus percutit, illi autem qui præeſt, græce dicitur πρωρεὺς & πρωράτης *Budæus ad l. 1. de arbitr.* puppis vero pars ultima navis eſt & honeſtior, in qua ſedet qui clavum regit, (der beym Rohr ſitzet) & vocatur *gubernator*, ein Steuerman / cujus in vices *Proreta* nonnunquam ſuccedit, ſi quando *Gubernator* adeſſe nequit, & horum duorũ cura ſuprema eſt, ut prora ſalva ſit & puppis. Illos proxime excipit *Meſonauta* der Hauptboßman/) cujus officiũ eſt reliquis *Naupagis, Carabitis, Remigibus* (den gemeinen Boßknechten) imperare, quæ ſunt facienda, ſcil. quando moderatur remiges ſignoque vocali ad remigandum compellit, vel ad pauſem faciendam, quem tamen accipit pro eo qui mediocriter remum agit *Accurſius. Alciatus. a. lib. 3. diſp. c. ult.* pro iis qui vocantur ναυτεπίβαται i. e. remum pro naulo & vecturæ precio ſolventes *ad l. debet* §. *1. ff. Naud. Caup.* Sed male uterque eum ipſe *ICtus* ſatis apertè à ſe invicem diſtinguat. Pertinent etiam huc *exercitores* ratium, lintrarii ναυφύλακες i: e. præpoſiti cuſtodiendis navibus per exerciaorem *t. l. 1.* §. *3. naut. caupon. vid. Paul. de Caſtr. ad tit. de act. exercit. Petr. Gregor. Syntag. Jur. Un. lib. 19. c. 9.* qui ibidem tria navigantium facit genera: nempe *magiſtrorum*, *nautarum*, ſeu *remigum* & *vectorum*

qui

qui vel mercatores vel viatores ſunt, de quibus in theſibus ſequentibus, quid cuique conveniat dicetur pluribus.

Th. IIX.

Sunt autem privilegia perſonas navigantiū concernentia varia.

§. 1. Latæ ſunt ad totam hanc materiam leges quædam ſpeciales, quæ vocantur *Rhodienſes*, à civitate & Inſula Rhodienſi, quæ eſt in mari *Carpathio Cariæ* adjacens *in Aſia.* quæ legum præſtantiâ & navalis rei peritiâ adeo valuit, ut annis multis maris imperio potita pyratarum latrocinia ſuſtulerit. *vid. Gell. l. 7. c. 3.* & hujus ad imitationem omnes ferè gentes mari accolentes certas quaſdam leges ſibi conſtituerunt, quales benè multæ & utiles latæ ſunt, in *Britannia, Dania, Hollandia, Galliis*, neque ullus fermè eſt fluvius navigabilis, ullumve pelagus, quibus non ex conſuetudine quædam ſit uſurpata lex peculiaris à *Rhodienſium* diverſa *Tholoſan. l. 29. c. 20. pr.* ſunt autem illæ *Rhodiorum* navales Græcè editæ ab Imperatoribus *Tiber. Adrian. Anton. Pertinace Lucio Septimo Severo. Tom. 2. p. 265. Juris Græco-Rom.* ex quibus aliquot aſcripſiſſe non erit tædium.

In lege earum 4. ſtatutum eſt; *ſi navicularius in locum furtis aut prædatoribus obnoxium navem appulerit,*

vectoribus teſtatò contradicentibus, nauclerus furto facto ablatarum tenetor, at ſi nauclero prædicente vectores nihilominus appulerint, de damno ſi quid acciderit, vectores tenentor.

Et ibid. ſi quis nautarum aut nauclerus ipſe extra navem dormierit, navisque jacturam fecerit, noctu vel interdiu omne damnum nautæ atque nauclerus extra navim dormientes præſtanto. Puta ſi citra indultum abfuerint quò ſine nec ſemihorulæ ſpatium nauta abeſſe poteſt, ſed cogitur ſtato tempore ad ſtationem redire.

Ibidem, qui in navi ſunt cum periculum factum fuerit, indemnes ſunto. quæ lex reſtringitur aliquantum per ſubſequentem.

Ibid : *Qui negligentes aut oſcitantes inventi fuerint, omne quod per eorum negligentiam damnum illatum fuerit magiſtro navis pendunto.*

§. 2. De perſonarum mercedibus ſunt leges quædam navales quæ aſcribuntur *Juſtiniano*, ſecundum quas mercedes diſtribuendæ ſunt *geometricè*, pro ut quiſque locum ſortitus eſt, aut loci conſuetudo poſtulat, quà videmus in locis maritimis gubernari omnia tàm quæ ad victum & alimenta, quàm quæ ad mercedem pertinent: Ita *Britannorum* Nautas unico ferculo cocto ſemel in die contentos eſſe oportere, eo, quod potionibus quibuſdam fruantur præter aquã: *Nordmanniæ* vero nautas duobus & bis in die ferculis paſci, quod potione aliâ quam aquę non utantur, donec portũ appulerint, quo tempore vinũ ipſis magiſter præbere tenetur teſtis eſt *Thol. d. c. l. 29.* Noſtri vero nautæ, qui albim & oceanum ſecant, quantum licet reminiſci, ter in die ferculo uno cocto de mane, duobus à meridie & veſperi paſcuntur, cerevîſia vero ejus generis potantur, quæ capiti haut facile vertiginem obducere potis ſit.

Jam

Jam vectores quod attinet ex Juſtiniani navalibus addemus paucula.

Ex l. 6. Mercatori in navi locum duorum pedum habere licitum eſto vecturam tamen ſolvito.

Ex l. 7. Vectoris locus in navi in longitudine cubitorum trium, in latitudine cubiti unius eſto.

Ex l. 8. Vector in navi piſcem ne frigito.

Ex l. 9. Lignum ne ſindito.

Ex l. 10. aquam admenſuram ſumito.

Ex l. 11. Mulier in navi locum cubiti unius capito, puer vero nondum adultus cubiti dimidii.

Ex l. 12. pecuniam, ſi qua habet apud nauclerum deponito.

§. 3. Viſis quæ ſpecialiter ipſis ex navalibus conveniunt, pertexemus nunc privilegiorum perſonalium alia, inter quæ non ultimum meretur locum *munerum vacatio.* quæ competit iis cumprimis, qui annonam urbis adjuvant. Eſt autem immunitas alia *patrimonialium*, alia *perſonalium. Patrimonialium* raro olim uti & nunc concedebatur, quod ærario opus ſit opibus, ſine quibus nihil poteſt fieri, quod opus eſt. *Beſold. c. 1. pr. de ærar. publ.* nihilominus tamen tàm à *patrimonialibus* i. e. à muneribus publicis domeſticis, item vexationibus & ſumptibus liberantur. *l. 5. §. negotiatores. 3. ff. de jur. immunit.* quàm *perſonalibus per l. 5. ff. de muneribus & bonor.* dum modo in fraudem munerum civilium naviculariam non exerceant *per d. l. 5. §. 9.* ubi notanter dicit *Calliſtratus in effugiendorum munerum cauſa navicularis imaginem induat.*

§. 4 Sequitur *tributorum remiſſio*, ſunt enim ab omni injuſta vectigalium exactione immunes imprimis tempore Nundinarum *per l. un. C. de nundin.*

 adeo

adeo ut ſi hiſce gravantur injuſte, coram judice Eccleſiaſtico conqueri poſſint, ſecundum *Innocentium in c. ſignificant. de offic. de legati. ubi vide Felin. n. 6.* & hac fine civitates *Hanſaticæ ab Henrico 3. Rege Angliæ anno 1266.* hoc privilegium adeptæ ſunt, ut ipſis libere liceat negotiari ſine portorii aut vectigalis augmento. Idem obtinuere *Lubecenſes* ſpecialiter *à Guſtavo 1. Rege Sueciæ anno 1521.* & convenit inter *Henricum 7. Regem Angliæ & Philipp. Archiduc. Auſtriæ & Burgundiæ Anno 1495. Febr. 24.* ne ſcilic. ultra telonia quæ ante 50. annos obtinebant Negotiatores gravarentur, id quod patet ex ipſorum *tractatibus pacis, & mutui commercii ſive inter curſus navigationum. capitulo XI.* de quibus ut & aliis privilegiis *à Daniæ & Norvegiæ Regib. impetrat. vid. Angl. VVerdenhag. pag. 2. c. 13. de rebuspubl. Hanſat.*

§. 5. Excipit hanc *ſecuritatis præſtatio perd. l. unic. C. de Nundin. & l. expreſs. 3. C. de navicul. & nauel. ubi 10. librarum* auri multa in dicebatur his, qui eos inquietare tentaverint. unde venientes ad Nundinas non poſſunt propter debita alibi contracta arreſtari, aut merces eorum quocunque etiam nomine ſequeſtrari. *per d. l. un, C. de Nundin. VVeſemb. ff. de Nund. Berl. p. 1. concl. 77. Rutg. Ruland de Commiſſ. p. 2. l. 4. c. 6. n. 21.* Eadem ratione nec in itinere ulla moleſtia ſunt afficiendi, non enim debent decipi ſub fide publica cum commercia ſint jurisgentium *l. ex hoc jure 5. ff. de J. & J. Grotius de mari l. c. 3.* Quam ſtricte autem hæc ab omni tempore obſervata fuerint experientia docet, atq; omnium temporum hiſtoria, adeo ut nunc têporis navigantes, ut ſe defendant, non ſolum gladios gerant (quos etiàm olim negtiatoribus in ſui defenſionem ſpecialiter conceſſos legimus §. *4. pr. ſi quis ru-*

ſticus

ſticus 2. F. 27. de pac. tenend:) ſed & navem majoribus minoribusque muniant bombardis, adeò, ut quot naves, tot munitiſſima caſtella videas, parumque aut nihil differre onerarias à Bellatoriis & guerram facientibus (die Kauffardy-von den Orlogſchiffen.) Sane hæc quod attinet ex dictæ tranſactionis *Anglorum Regis & Archiduc. Burg. capit. 12. ſpecialiter* obſervandum eſt. Arma cujuſcunque generis & invaſiva & defenſiva gerere poſſe, tam eundo per mare, quam commorando in portu, etiam ad terram & per terram ad eorum hoſpitia, ita tamen ut exinde non efferant priusquam ad naves redituri ſunt.

§. 6. Affine huic eſt *quinquennale ſpacium ſeu induciarum moratoriarum tempus, vulgo quinquennal.* Anſtand oder eiſerne Briffe / quæ & moratoriæ præſcriptiones dicuntur *l. quoties C. de precib. Imperat. offerend. Gallis lettres de reſpit.* quæ non aliter concedendæ, quam ob cauſam graviſſimam & cum ex infortunio ita quis facultatibus labitur, ut non poſſit fidem ſolvere. e. g. ſi quandoq; citra culpam navigantium tempeſtate flagrantiſſima naves franguntur, tunc intra præſtitutum tempus nemo ab ipſis aliquid exigere poteſt. *per l. fin. C. qui bon. ceder. poſſ. vid. reformat polit. anno 1548. tit.* Von verdorbenen Kauffleuthē. Ubi extat *Conſtitutio Caroli V. in Comitiis Auguſtæ Vindelic. edita* in odium menſariorum, qui cum periculo multorum ſedes vertunt (Bangverot ſpielen.) Contraque inſtitores vel negotiatores doloſos, qua ita ſtatutum eſt, ut comprehendantur carcereque caſtigentur ut fures, ut exinde reſpondeant creditoribus, nulla habita ratione τῶν χαλκευμάτων λόγων (quod *Alciato* ſignificat ſalvum *conductum*, fidē publicam

licam quam nos dicimus *Autb. de mandat. princip.* §. *ſed neq, Alciat. lib. 7. παρέργ. c. 6.*) prohibitumque ne poſt hac *moratoria* hæc *quinquennalia* concederentur ab alio, quam ab Imperatore ipſo, qui ante conceſſionem debeat inſtrui aut à loci magiſtratu, aut per teſtes idoneos, petentem caſu ad hanc inopiam redactum eſſe, alioquin reſcripta hæc veritate ſuppreſsâ irrita fore. Quod ipſum repetitum eſt confirmatũq; in der Policey Ordnung zu Franckfurt anno 1527. tit. 24. §. ult. notandum tamen hîc privilegium illud ſine cautione idonea præſtita creditoribus *per l. 4. C. de precib. Imperat. offerend.* non obtineri, hancque adeo neceſſariam eſſe, ut nec per reſcriptum Principis remitti poſſit, teſtatur *Wurmſer. pract. obſerv. tit. 29. obſerv. 9. argument. l. ſi debitori meo l. 21. ff. de judic. c. reſcripta 25. quæſt. 2. Lymn. lib. 4. juris pub. c. 8. n. 38.* à quo divortium fecit præter alios *Zang. de except. par. 2. c. 12. n. 4. ubi ſupra adducta reformat. polit. nititur.* Cæterum has *moratorias inducias* etiam invito debitori poſſe impetrari *Tholoſ.* annotat, *per l. quoties. 2. C. de preci Imperat. offerend. Tholoſan. Syntagm. I. univerſ. lib. 22. c. 7. per totum.*

§. 7. Cognatum hiſce quoq; eſt *beneficium, legis Juliæ* quâ, ſi ἐκ τῆς συμβεβηκότος καὶ οὐ ῥᾳθυμίᾳ res ſuas amiſſas probant bonis cedendo carceris moleſtias, quibus olim mirum quantum cruciabantur *l. 1. 4. 7. C. & tot. tit. ff. de ceſſion. bonor.* & corporalem cruciatum verberum ſcil. de quibus *Livius decad. 1. lib. 2.* effugiebant, adde *l. ult. d. tit. & Novell. 153.* per totum, ibidemque *Cujac.* ſi vero jam in carcerem conjectus erat liberabatur: *Schneid. ad* §. *ult. Inſtit. de action. n. 2.* in terris pontificiis vero Ceſſio, ne excommunicetur, efficit,

cit, aut ſi jam ſit excommunicatus, rurſus abſolvatur. *Hoſtienſis in ſumma L.3. de ceſſ. bonor. prin. vid. colleg. Argentorat. eod. n. 12.*

§. 8. Conſiſtit deniq; illorum privilegium in *conventionum ſingularitate*: Jus commerciorum eſſe juris gentium dictum eſt ſuperius, unde facile eſt colligere laxiores aliquantum heic celebrari conventiones, quam in cæteris hominum actibus, maximamque partem bona fide nudaq; promisſione peragi, quæ ſi ſemel inter negotiatores fallitur, poſtmodum rariſſimè aut nulla datur reſtitutio; unde nihil obſtat *l. 7. jurisgent. §. ſed cum nulla. verſ. igitur nuda ff. de pact.* cum conventione omnium negotiatorum æquitati prorſus congruâ, huic derogatum ſit *Bald. in canon. pro debilitate X. de offic. delegat. Petr. VVeſenb. conſil. 27. n. 9.* Unde jam factum eſt, ut omnes teneantur etiam ex nuda conventione & pacto quolibet, *Bart. in l. Quint. Mutius ff. mandati. Bald. in l. perſon. §. qui pecunia ff. de pact. & in l. ſi pro ea C. mandati l. 2. C. de conſtitut. pecun.* Ita valent pactiones *conditionatæ*, quæ dicuntur aſſecurationes, quibus paciſcitur aliquis cum extraneo, ut ſi naufragium faciat, refundatur ſibi ab aſſecuratore vel totum damnum, vel pacta ſumma, ille vero viciſſim ipſi ſolvat, quantum inter ipſos conventum eſt; Et horum aſſecuratorum in locis maritimis magnus numerus eſt, qui vel integras naves, hiſce pactionibus dimittunt, ut, ſi redeant incolumes, non tantum *legitimas* (quæ competunt etiam terreſtribus negotiatoribus & dicuntur *beſſales. l. 26. C. de uſur.*) ſed & *ſupremas in jure uſuras* lucrentur in modum pecuniæ trajectitiæ, quæ ſolis negotiatoribus maritimis conceduntur *per l. eos C. de uſur. Novella III.* idque in periculi ſuſceptio-

D

ſceptionem, cujus & precium dicuntur *in l. periculi ff. de fœno. naut.* propter quod etiam ex nudo pacto debentur ut negotiatorum omnia. cum habeant aliquod in ſeſe συνάλλαγμα.

§. 9. Varietas autem circa hanc rem fuit apud veteteres mirifica, ad quam obſerva ὡς ἐν παρόδῳ tres eſſe uſurarum ſpecies. *1. illuſtrium* quarum mediæ *quadrantes & ſextantes*, inferiores *ſemiunciales & unciariæ. 2. communium negotiatorum* quarum ſummæ *Beſſes* §. *quia vero conſtit. Novell. 136.* mediæ *ſemiſſes*, inferiores *quincunces. 3. trajectitiarum* quarum ſummæ *centeſimæ*, mediæ, *de unces & ſextantes*, inferiores *dotrantales. Supremæ vero illæ in jure uſuræ, centeſimæ* quæ dicuntur, ad quas reliquæ referuntur; non, ut vulgo exiſtimatur, æquant ſortem intra annum, verbi gratia quando cẽtum creditor ſingulis annis pro centum lucratur, ut ſentit *Accurſius in l. ſi non ſortem §. ſupra duplum, de condict. indebit.* nuſquam enim jura tam execrabiles uſuras permiſerunt, ſed *centeſimæ* ſunt quæ intra centum menſes (annis 8. & menſibus 4.) æquant debitum, ſcil. quando ex centum denariis, duodecim ſingulis annis penduntur (zwelff auffs 100.) *Budæus de aſſe, Molin. de uſuris.* Petr. *Gregor. d. lib. 22. Syntagma. jur. univ. c. 3. n. 27. 29. 44. & 45. ubi omnino vide*; Reliqua quæ ſpectant ad *quæſtionem* de centeſimis diſputabuntur infra ſub *parte tertia de actionibus.*

§. 10. Habent porro id ſingulare, quod ſi ex conventione plurium (die eine maſchopey miteinander halten/) merces venditæ ſint, reliqui omnes, non vero ille tantum, qui operam accommodavit, conveniantur. *per l. 9. de duob. reis.* In ſolidum obligati omnes, una enim ibi & obligatio & ſumma eſt *l. 9. &*

l. 47.

l. 47. ff. locat. l. 2. C. eod. Arumæus exercit. 13. §. 9. quod ſi forte alicui mutuo pecuniam dederunt, *lucrum ceſſans* petere poſſunt, ſingulari idem privilegio *per text. expreſſum & plane ſingul. in l. 2. §. fin. ff. de eo quod cert. loc. & gloſſ. notabil. in l. curabit, in verb. ratio C. de actio. empt. ibidemque Bald, & Dd. communiter in l. Socium. qui pro eo ff. pro ſocio l. ſi commiſſa ff. rem. rat. haber. ibi quantum mihi abeſt quantumque lucrari potui l. atqui natura §. non tamen ff. de negot. geſt.* quod tamen creditori probare incumbit, ſcil. tantum fuiſſe ſolitum lucrari. *per d. l. 2. §. fin. Gail. 2. obſerv. 6.* & hoc quod inde ſperant ad imitationem piſcatorum, *in l. fin. jactum. 12. ff. de action. empt. & vendit.* vendere poſſe annotat *Molin. diſp. 315. n. 12.*

§. 11. Singularis item conventio eſt in nonnullis rebuspub. inter negotiatores & cives reliquos, ut nulli niſi civi negotiatori merces vendi poſſint: id quod obtinet *per ſtatut. Lubecenſium artic. 7. tit. 6. lib. 3. ſtatut.* von [illegible] Kauffen *Dantiſci* item, quæ hinc inde in urbem comportantur, nemini niſi ſuis mercatoribus emere & vendere licet. *VVerdenhagen part. 2. de repub. Hanſeat.* poſſent id generis magno numero, eaque quæ ipſis ſunt communia cum *negotiatoribus mediterraneis* (uti ſic vocantur à *Meiero in collegio Argentorat. ff. de uſur.*) allegari: quæ nunc conſulto remittimus, ne limites transgrediatur diſputatio.

TH. IX.

Sequitur nunc, ut vi-

 dea-

deamus quæ nam res navigantium ſint privilegiatæ.

§. 1. Spectant huc Naves ipſæ, armamenta, res vehendæ, transferendæ, res jactatæ, conſervatæ &c. de quibus quædam ex legibus *Rhodiorum Navalibus* præmittimus ex *l. 13. ſi quis ſecundum legem ſupra adductam aurum penes Nauclerum non depoſuerit, poſtea vero amiſiſſe dixeris,* ἄκυρα ἔϛω τὰ παρ' αὐτȣ̃ λεγόμενα· ὁ δὲ ναύκληρος καὶ οἱ ναῦται, ἐμȣ̃ οἱ ἐμπλέοντες ὅρκον παρεχέτωσαν dicta ejus invalida & irrida ſunto, Nauclerus tamen & nautæ aliique una navigantes juramento ſe purganto. *ex l. 49. culpa Nautarum eſto ſi plus æquo naves onerarias, quæ ipſis græcè* φορτηγοὶ dicuntur & φορταγωγοὶ; oneraverint.

Ex leg. 36. Si navigium paſſis velis profectum in aliud navigium in ſtatione agens incurrerit interdiu, damnum colliſionis nauclerus & vectores reſarcire jubentur, ſi noctu acciderit, & ignis in nave ſtante incenſus non fuerit, nec clamor ſublatus, ut currens navis de ea certior fieri potuerit, ſtantis culpa, hæc vero indemnis eſto.

Hiſce ſuccingimus legem illam nobilem de jactu de quo integer titulus in ff. deſumptus ex ll. Rhodienſiũ. 34. 32. 35. 43.

§. 2. Navem fabricare & exercere licuiſſe omnibus etiam privatis, dum modo ne fieret in fraudem reipub. *conſtat ex l. 1. C. de navib. non excuſan.* verbo *locum fraudi non ſinimus*, exceptis tamen ſenatoribus quibus erat prohitum *ex l. julia repetundar. per l. 3. de vacat. muner.*

muner. ne ſcil. hiſce in tenti interim rei publicæ curam negligerent. quam legem ſcribit *Livius* fuiſſe *Romanis* antiquiſſimam *Tribunitiam Claudiam Publ. Cornel. & Tit. Sempron CC. latam anno 530.* ab U. C. ne quis ſenator quiſve ſenatoris pater eſſet maritimam navem, quæ plus 300. amphorarum contineat, haberet, id ſatis habitum ad fructus ex agris vectandos, quæſtûm enim patribus omnem indecorum viſum eſſe.

§. 5. Quæcunque vero quis fabricandæ navis vel emendæ, vel armandæ, vel reparandæ cauſa, vel quocunque modo crediderit, habent poſt fiſcum prælationis privilegium *per l. 26. & 34. ff. de privileg. credit. Neguſ. de pig. memb. 4. part. 2. Gail. 2. obſ. 2. nu. 4. Covarru. 1. varia. reſol. l. 7. n. 3.* quod tamen non provenit ex jure pignoris, ut putat *Peck. ad Leg. Rhod.* ſed ex quaſi jure pignoris *per 5. in fin pr.* idem quod omnibus illis concedimus, ſine quibus navis ſalva in portum pervenire non poterat, utpote quæ in cibaria nautarum ſunt impenſa *per l. 6. ff.* qui *potior* in *pign. Paul. de Caſt. ad tit. de act. exercitor.* Notamus hic ex veteribus ſtatutis civitatum Hanſaticarum (1.) quod magiſtro navem ſumpto fœnore nautico obligare non licebat, (zyn Schip niet Bodemerey belaſten:) eo loco ubi degunt exercitores, quod tamē in peregrina regione etiā ſine mandato ipſi erat licitum, ſi hoc navis & mercium conſervatio exigat neque fide exercitorum ſuorum pecuniam ſibi collybo parare queat (Geld op Wyſſel krygen/op zyn Reeders-) nec aliter quam per Bodemeriam periculum poſſit avertere. quo in caſu ſi à pluribus pecunia credita fuit hic proceſſus inſtituitur, ut noviſſimum pecuniæ nauticæ inſtrumentum præferatur antiquioribus omnibus, quoniam per illam

noviſſimam pecuniam factum eſt, ut navis portu exierit, quod ſi ſimul uno eodemque tempore crediderunt pecuniam, ſimul concurrant: & ita *Amſtelodami in camera.fœn.naut.* obſervari teſtatur. *Vinn.ad Tit.de exerc.act.*(2:) Quod inſtrumentum ſuper pecunia ad exſtruendā navimcredita(vocatur vulgatur nomine een byl brieff twelk gaet voer den bodemery brieff.) Unde fit ut creditores qui pecuniam dederunt in Bodemeryam, in concurſu ſæpius damnum incidant. als er een byl brieff is / *vid. art. ult. Naut. leg. veter. civitat. Hanſat. & artic. 12. leg. Nav. Philipp. II. & artic. 35. 41. 69. 70. Leg. Nautic.* VVisbuicens.

§. 4. Navi ſatis oneratæ nemo ſarcinam privatam imponere poterat, nec portitores frumenti ad ſuſcipiendum ali quod onus compellere, hoc enim facto non ſolum in diſpendium atque naufragii damnum tenebatur obligatus, verum etiam publicæ coercitionis experiri vigorem *per l. unic. C. nequid. oner. publ. impon.*

§. 5. Merces quod attinet in emolumenta negotiationis à nautis nullo modo converti queunt, decreto facto *Imperatoribus Arcad. & Honor. in l. 3. C. de navic. & naucl. publ. ſpec.* ut intra annum quas ſpecies ſuſceperint inferant, & ſecuritates (recipiſſe) reportent, quæ diem illationis (der lieferung) edoceant, ut intra alterum annum iis reddantur à quibus ſpecies ſunt præſtitæ. Attamen ſi quis in merces illatas crediderit vel ut ſalvæ ſint, vel naulum exinde ſolvatur, de jure civili potentior erit, licet poſterior ſit, nam & ipſum naulum potentius eſt per *d. l. 6. §. 1. ff. qui potior in pignor.* quod autem propenſione obligari poſſint, nullum eſt dubium,

bium, nam ſi non eſſent obligatæ, pro alio debito non poſſent retineri *per l. ſi non inducta. C. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. Petr. Coſtal. adverſ. part. 3. ad L. Rhodiam de jactu*, quod non ita accipiendum erit, ac ſi jus retentionis idem eſſet quod pignus, hoc n. negatur *in l. 33. de condict. indeb. l. 21. ad SC. Treboll.* ſed eſt tantum aliquid pignori ſimile & quaſi pignus *per l. 3. §. 8. de act. empt. l. 11. §. 1. de pignor.* deque eodem. *d. l. 5. ad exhibendum* explicanda eſt.

§. 6. Jam de jactu mercium, qui tempeſtate turbida non raro ſolet accidere anceps Dd. eſt opinio. Lex navalium Rhodienſium cujus jam facta ſupra eſt mẽtio ita habet ἐὰν πλοῖον ἐπὶ χειμῶνι καταληφθῇ καὶ ἐκβαλὼν πλήσῃ τοῦ γόμου, καὶ κέρατα κλάσῃ καὶ κατάρτιον καὶ αὐχένα καὶ ἀγκύραν καὶ ἐφολκίον, ταῦτα πάντα εἰς συμβολὴν ἐρχέσθωσαν ἅμα τῆς τιμῆς τοῦ πλοίου καὶ τῶν σωζομένων φορτίων: id eſt. Si navigium tempeſtate oppreſſum fuerit & una cum mercium jactu antennorũ cornua, malus. Gubernacula, anchororæ, Epholtiaque fracta ſint: hæc omnia in conſortium contributionis veniunto, una cum navis & Salvatarum mercium æſtimatione. Cum quâ ea, quæ in ff. ad eandem de jactu materiam ſpectant, conferentes præcipua maximè enodabimus. Ubi in principio ſtatim notandum eſt, quod jactus omnis & naufragium fiat vel *caſu & neceſſitate ſumma urgente & excuſabili*, vel præter *neceſſitatẽ* vel ex *neceſſitate* quidem, ſed tamen culpa navigantium.

§. 7. Ex *neceſſitate urgente, & excuſabili* fit quando quis navi integra & ſolida, non plus debito onerata (nicht überladen) debito tempore iter ingreditur, mox ſuperveniente impetuoſiſſima procella tentatis

tatis prius omnibus, quæ nauclerum ſtrenuum atque peritum decent levandæ navis cauſa jactum permittit, ſatius futurum exiſtimans ut pars pereat, quam totum *l.2.ad l.Rhodiam de jactu.* Secundùm *Leg.Nauticar. art. 4.Philipp. II.* Van Schipbreck en Zee werp. ut jactum impune faciat, neceſſum eſt, ut prius rem magiſter cum mercatoribus communicet, deinde ſi illi conſentire nolint, majoris partis conſilium exploret atque impetret, quibus vectoribus deinde jurato aſſerendum eſt jactum rectè factum eſſe, *Galli* vero juratã depoſitionem tertiæ partis nautarum expetunt teſte *Petr.Garſio. in lib. cui t.le grand.routier. & pilotage &c. inquo perſcribit plerasq; H. olerenſium.*

§.8. Præter *neceſſitatem* fieri dicitur, cum quis præ timiditate nimia eò deſcendit, cum tamen eodẽ tempore plures & longe deteriores naves incolumes tranſierint, aut eas res ſine omni diſcrimine, quod utique in jactu (ut ut omnium rerum, excepto tamen homine *Cic.3. de offic.* quæ navem gravare poſſunt ſit permiſſus) obſervari fas eſt, ne precioſa vaſa aut gemmæ prius, quàm lapides molares ejiciantur, vel quod idem eſt in aliam navem contra voluntatem domini res transferantur & poſtea navis cum illis mercibus ſub mergatur *l.10.§.ſi ea conditione 1.h.t.vid.Leg. Nauticar. Phil. II. d. artic.4.* Van Schipbreck / & *Leg. Wisbuicenſ. artic.20.21.38.99.*

§.9. *Culpa* vero probari poteſt varie, ita culpa non caret, qui imperite & temere extra tempora convenientia navem in periculum navigationis conjicit. quando autem navigare commodum ſit, reſcripſerunt *Gratian.Valent.&Theodoſ.* nimirum quod menſe *Novembri* ſubſtracta navigatio ejus ſuſceptionis neceſſitas *ex Calendis Aprilis* in diem *Calend.Octobr.* menſura

ſerva-

ſervaretur *l.3. C. de naufrag.* unde & iidem, quoniam hyemis tempore navigatio periculoſa eſt, & ſemper incerta, in aliquibus urbibus hyemandum ſub pœna graviſſima indixerunt *per l.6.C.de Offic.Rector provinc.* hinc culpam non intelligi, ſi quis navem petitam tẽpore navigationis trans mare miſerit, licet ea perierit, ſcribit JCtus Paul. *in l.16.§.1. & l.37.§.1.ff. de R.V.* & Vegetius *lib.4. à die tertio iduum Novemb. usq. ad ſextum iduum martij*, maria clauſa eſſe aeriſque obſcuritatem, ventorum, imbriũ, vel nimium geminatam vehemẽtiam non ſolum claſſes à Pelago, ſed etiam commeantes à terreſtri itinere deturbare. Porro non levis navigantium quoque culpa eſt, ſi minus idoneis navis comiſſa fuit *per l.16. in fin. l. item quæritur §.1.ff. locati.* aut ſine gubernatore dimiſſa, tempeſtate deinde orta temperari non potuit §. *2. eod.* vel impacta in aliam ſcavam damnum dedit, quod nautæ declinare potuiſſent *Ulpian. in l.29.ff. ad L. Aquil.*

§. 10. Cæterum ſi navis anchoris allegata (Das vor Ancker liegt.) fune rupto, aut cum à nullo regeretur in aliam incurriſſet, cujus culpa eſſet quæſitum eſt? domini eſſe quod non firmioribꝰ funibus allegaſſet, & mature de gubernatore idoneo proſpexiſſet exiſtimat *Anton. Faber. 5. conj. 17.* quo fini tollit præter omnem neceſſitatem particulam negativam, & ita cõtra morem interpretum communem legem mutat, quantumque in ſe eſt facit novam. Cæterum hanc Fabri objectionem infirmiori hærere talo omnis fatebitur, qui vel à limine ſalutavit oceanum, duplex hic caſus proponitur (1.) navis quæ anchoris probe allegata ſtetiſſet (Das an guten Ancker und Tow lieget.) fune rupto fortè incurrit: at tales adhibuiſſe

oportebat funes; qui frangi non potuiſſent, certè nautas dubiis ſeſe maris fluctibus nonniſi firmiſſimis credere funibus & Anchoræ validisſimæ, quam Nautæ *Sacram* vocant: teſtatur frequentisſima experientia. Ferrum etiam & fortisſima quæq; frangi damnificis ventorum turbinibus æque notum eſt, proinde cum hæc mere ſint contingentia, Domini culpa nulla hic eſſe poteſt *per l. contract. ff. de R. J.* (2) Navis Gubernatore deſtituta damnum fecit. at reſpondetur *Fabro* hæc verba *cum à nullo regeretur* non ita accipienda eſſe, ac ſi nemo præpoſitus qui Clavum teneret, ſed qui præſens qvidem

—— —— —— at dum ſidera ſervat
Excuſſus puppi mediis effuſus in undis.

Aut ſi ſervat9, turbantibus æquora ventis, clavum ſentit intractabilem ita ut fatis ſe navemqve committere habeat; qvo caſu cum à nullo regeretur utique nec cum Domino agendum eſſe reſpondet *JCtus in d. l. 29. §. 2. in fin. l. 39. §. ſi navis ff. ad L. Aquil.* quod egregie confirmant verba *in §. 4. in medio, ſed ſi tanta vis navi facta ſit, quæ temperari non potuit, nulla in dominum danda eſt actio*: *vid. quæ eleganter adhunc locum Arum. in diſput. 12. th. 5.*

§. 11. Quibus præſuppoſitis facile advertere eſt, quando, à quibus, quarum rerum, & quomodo debeat fieri reſtitutio, juſtum enim eſt & æquum, ſi caſu fortuito jactus factus fuit, ut ne ſolus magiſter teneatur ſuſtinere ejusdem periculum, ſed omnes & ſinguli qui in eadem navi fuerunt, quorumq; interfuit jactum fieri, ut ita omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. *l. 1. ad L. Rhod. de jact. l. 2. in fin. pr. l. 4. pr. l. 5. prin. & l. 6. cod.* Contributio autem

hæc

hæc communi nomine vocatur *Avaria* (qvod vocabulum deducunt à *βάρ⊙* & partic. privat. *α.* aut à *βάρις* quod *jonibus* navis eſt :) quæ duplex eſt *groſſa & communis. Communis eſt* (Pilotsgeld) pecunia quæ datur piſcatoribus aut aliis locorum gnaris, ut navem ſalvam cum mercibus in tuto ſiſtant, ſi tamen ſumma excedit *6. libras flandricas* aſcribitur *groſſæ Avariæ*, & in hac communi *avaria* omnium rerum fit contributio, excepta navi quæ in hanc collationem non deducitur. *Groſſa* eſt quando omnium fit Collatio, etiam navis ſervatæ, quod fit cum merces quædam jactæ ſunt ſervandæ navis cauſa, aut armamenta navis læſa. *artic. 12. 21. 25. 28. 60. LL. VVisbuicenſ. artic. 41. leg. Nov. Carl. V. Grotius 3. lib. ad introduct. Juriſpub. Batav. Vinnius ad L. Rhod. de jact. pr.*

§. 12. Veniunt autem In hanc actionem perſonæ quadruplices, Dominus, Magiſter, Nautæ, vectores, *Locati* agit Dominus primo loco adverſus *Magiſtrum* ut ſi ipſe in dolo aut culpa ſit, omne præſtet periculum *per l. fin. §. 1. & per ll. ſupr. adductas.* ſi ſolvendo eſt, ſin vero non, luat ſecundum loci conſvetudines. Et hoc in caſu etiā ad capitis amputationē procedi in *Galliis* ex judicio nautico noviter facto evincit *Tboloſ. d. l. 29. c. 10. n. 20.* Sin vero in culpa magiſter non eſt, *conducti* agat cum reliquis, quorum merces ſalvæ factæ ſunt, Vel cum nautis, ſi in culpa fuerunt (*de quib. ſupr.*) ut detrimentum proportionate communicetur *d. l. 2. in pr.* & amiſſarum fiat reſtitutio. Cujus ergo magiſter uti poteſt *jure retentionis ſarcinarum* & mercium, ſi quas ibi vectores habeant, *d. l. 2. in med. pr.*

§. 13. Apte nunc ſubjicitur, quarum rerum ſit facienda Collatio ſcil. *jactarum* & quæ *ob jactum deteriores*

factæ ſunt, aut pro *jactis* habentur. *jacta* autem tum demum intelliguntur cum navis ſalva eſt, cujus gratia fiebat. *l.4.in fin.pr.*§*.1.in fin.l.7.h.t.* idq; obtinet etiamſi *poſt alia tempeſtate navis* eadem periret, dummodo merces per urinatorem extrahantur, tunc enim nihilominus rationem haberi debere ejus, cujus merces in navigatione levandæ navis cauſa jactæ, ab his, qui poſtea ſuas per urinatores extraxerunt reſpondet *Sabin d.l.4.*§*.1.in med.* quod ſi non extrahantur etiam cõtributio iniri nulla poteſt, ſed æq; obligatione jactus liberantur vectores, ac debitores Interitu ſpeciei. *l.23. ff. de V.O. VVeſenb. ar. h. t.* Res *deteriores* quod ſpectat quæſitum eſt, & reſpondit *Calliſtratus d.l.4.*§*.ult.in fin.* parum referre an jactatas res quis amiſerit, an nudatas deteriores receperit, nam ſicut ei qui perdidit, ſubvenitur, & eidem ſubveniri oportere, cujus res propter jactum deteriores factæ, nam ſi ex alia cauſa nudatæ ſunt aſpergine, collationem ſubire tenentur, quia nõ navis conſervandæ & mercium cauſa deteriores factæ ſunt *l.2.*§*.1.l.4.*§*.2. convenit articulus 8. Leg. Naut. Philipp. II.* Van Schipbrekingh.

§. 14. Reſtat tertia ſpecies earum quæ *pro jactis* habentur, id quod fit, quando res ex navi, ita vulnerata ut portum intrare non poſſit, in ſcapham aliam immiſſę, cum eadẽ perierunt, trajectionẽ n. hanc pro jactu cenſeri iterum *Sabin.* reſpond. *l.4.pr. ex ſecundo reſponſor.* Idem quod accidit in navià pyratis redempta *l.2.*§*.3.h.t.* excepto quod prædones abſtulerunt, illud enim pro jactu non habetur, uti nec in collationẽ deducitur: ſi vero navis ſubmerſa eſt, merces autem ex naufragio liberatæ ſint, inde, nihil penſi habito quòd rebus ſalvis alias incunda ſit contributio, quod quiſ-

que

que inde ſuum ſervaſſet, ſibi ſervare tanquam ex incendio reſpondet *JC. Paulus l. 7. b. t.* adeoque in tributum jactus non deducitur niſi navis ſalva ſit *l. 4. in fin. pr. Weytbſen. de avar.* Et hunc textum mercatores noſſe debere, inquit *Strach. de Navib. p. 2. n. 19.* quod ſi navis adverſa tempeſtate depreſſa ſit, ictu fulminis deuſtis armamentis, arbore & antenna, aliaque parare magiſter cogatur! contributioni item nullus locus eſt; cum hic ſumptus magis inſtruendæ navis quam conſervandarum mercium factus eſt *per l. 6 b. t.* diſſimiliſque earum rerum ratio ſit, ut enim ſi faber incudē aut malleum fregerit, non imputatur ei, qui locavit opus, ita nec vectoribus, cum mercede navis conducta ſit. *vid. Petr. Coſtal.* ad *hunc loc.* Hoc tamen non obſtante ſi de voluntate vectorum, vel propter aliquem metum navis exarmaverit (pro exarmata ſit, quæ locutio non eſt infrequens in jure, & agit de eo Priſcianus *lib. 8. c. de communib. §. ſunt quædam in O.* terminantia:) aut deterior facta ſit, pro jactu habetur, & hoc ipſum ſarciri oportet *per d. l. 2. in fin. l. 35. b. tit. convenit artic. 12. leg. VVisbuic: vid. VVeytbſen tr. de avar. artic. 8. leg. Naut. Philipp. II.* cautelam hic non parvi momenti obſervari jubet *Paul: de Caſtr. ad banc l.* ut ne, cum videant tempeſtatem vectores, magiſtro dicant, quid habeat facere, ne, ſi ex ipſorum mandato aliquid abjiciatur, vel navis in appellendo in littore concutiatur (wenn ſi das Schiff ſtranden) ipſi ſolum ad reſtitutionem teneantur, de quo plene & ex profeſſo *libell. del conſolato del Mare capit. de naue 192.*

§. 15. Explicandum nunc tandem qua proportione facienda ſit collatio, eſt enim tam amiſſarum quam conſervatarum faciendum æſtimium. In amiſſarum

æſtimatione damni tantummodo habenda eſt ratio, non lucri, id eſt quanti emptæ ſunt non quanti vendi potuiſſent *d.l.2.* §. 4. precio nimirum rerum præſent-, ne nimium graventur contributores *VVeſenb. b. t.* conſervatarum vero, non quanti emptæ ſed quanti venire poſſunt *ibidem.* Cæterum ſecundum *artic. 6. leg. Nautic. Philip. II. & artic. 18. Leg. VVisbuic.* res amiſſæ & ſervatæ æſtimantur eo precio, quo ſervatæ venduntur. *VVeytſen.* tamen hoc uſu obſervari ſcribit *in tract. de avar.* ut antequam dimidiam itineris partem navis confecerit, non pluris æſtimentur merces, quā emptæ, dimidio autem itineris jam peracto precio quò deſtinato loco venditæ fuiſſent, quam non nuperam obſervationem eſſe dicit Vinnius, cum reperiſſet etiam *in libell. conſolato del mare.* Ubi opportune quæritur (1) quæ conſervatarum rerum nomine veniant ex quibus damnum æſtimatum reſarciendum eſt: Numne ex eo numero ſint etiam ſervi & merces, quibus navis non ita oneratur, gemmæ ſcil. & margaritæ, veſtimenta & annuli? & reſpondetur *ex l. Rhod.* quod viſum ſit omnium *conven. art. 7. leg. Naut. Philipp.* II. adeo ut reſpectu navis ſalvæ factæ & ipſe magiſter conferre teneatur exceptis tamē quæ cōſumendi gratia ſunt impoſita, qvo in numero ſunt cibaria, quod ſi quādo ea defecerint, quod quiſq; haberet in cōmune conferret *d.* §. *2. in fin.* unde proverbiū Batavor. ortū eſt Zee varende Luyden buyten Duyns zijnde ſeggende zy al even ryk zyn/ *Grotius introd. ad juriſpr. Batav. 129.* liberorum item corporū æſtimatione, nam hæc ne quidem fieri poteſt *per l. 13. ad L. Aqvil.* quibus conſentiunt *artic. 28. L. Nautic. Car. V. & artic. 2. Philippi II. art. 35. Nautic. Leg. vet. Civit. Hanſatic.* certe annulos & margaritas, quas quis geſtat uſus ſui cauſa mercium

cium loco non cenſeri mercatorem quendam certas allegaſſe conſuetudines teſtatur *Paul. de Caſtr. ad hanc l.* ſeque cum ſibi cauſa commiſſa eſſet, pro mercatore pronunciaſſe quod non teneretur pro iis annulis, quos uſus ſui gratia comportaret, gabellam ſolvere. (2.) Si quis vectorum in nave nihil habeat unde poſsit ſolvere, numne magiſter pro ipſo teneatur? id quod negatur, non enim nautæ incũmbit cujusq; fortunas excutere, videtur itaque id detrahendum de ſumma damni eſſe cum inanis contra inopem ſit actio, *d. l. 2. §. 6.* (3) ſi ſoluta ſunt omnia & res amiſſa poſtmodum appareat, ſatis ne ſit hoc ad exonerandam collationem? & hoc affirmatur per expreſſiſsimum textum *l. 2.* Ubi & *cõtraria* naſcitur *actio* adverſus *Magiſtrũ ex locato* ut is iterũ *ex conducto* agat adverſus eos, quorum merces jactæ fuerant, & quod ab eis exegerit, reddat cæteris. Eſt huic affinis quæſtio, an ne res illas iterum apparentes libere occupare liceat ceu in derelictis ſint habendæ? quæ cum ad materiam actionum pertineat, eam iſtuc remiſſam, poſtquam unum vel alterum privilegium, quod rebus navalibus cum terreſtribus commune eſt, viderimus, expediemus.

§. 16. Libris & rationibus negotiatorum privilegia item non pauca tributa ſunt, ſic licet aliàs ſcriptura privata nihil aut parũ probet *l. exemplo l. inſtrum. C. de probation.* nihilominus ſi producens negotiator integræ opinionis propria manu rationes conſcripſerit, cauſa obligationis adjecta *l. ſi quis ex argent. §. rationẽ ff. de edendo.* ſemiplene probare communis Dd. eſt opinio. *Bart. in l. admonendi ff. de jur. jurand. n. 26.* Imo Schedulam manu propria negotiatoris conſcriptam paratam executionem habere teſtatur *Berlich 1. concluſ. 80.* At plene quoque probare certis requiſitis adhibi-

hibitis (de quibus *Nicolaus Johannes de paſſer. de libr. mercator.*) probat *Jaſon, Menoch*, & ex iis *Ludovicus concluſ. 29.* In urbe *Patavina* probant negotiatorum libri ad ſummam librarum 10. idque ex *proviſione Principis Francisci Foſcari facta anno* 1444. *prout in ſtatutis Patavin. legitur. de Lubecens. Statut.* ad 30. Marcas, *artic. fin. de fid. inſtrument. lib. 5. tit. 6.* De jure Civili literas etiã negotiatorum agnitas & confeſſas probare conſtat *ex l. 26. ff. depoſ.* quando autem plene probent *vid. Schrad. de jurjurand. n. 220. Konig. in proceſs. part. 3. c. 49. Moller. 4. Semeſtr. c. 44.*

§. 17. Nec domus illorum privilegiorum ex ſortes ſunt. vocantur illæ ἐργαστήρια *l. un. C. ne negotiat. militent.* in Italia ſiggie. Communi nomine ſunt ædes forenſes emporiales, quales olim negotiatoribus *Hanſaticis* fuere *Antverpiæ*, & adhuc ſunt *Londini in Anglia. Pleſcoviæ in Moſcovia. Bergæ in Norvegia* ad quas omnis generis merces pertrahũtur, præſertim quæ per maria ac flumina adportantur. Omnes autem in univerſum domus quę ad mercimoniorum conſervationem deſtinatæ, exemptæ ſunt ab hoſpitando milites, cujus ratio redditur *in d. l. unic.* quod occupatæ fiat mercibus, vid. plura circa hæc apud *VVerdenh. part. 2. c. 20. de rebuspubl. Hanſatic.*

TH. X.

Nunc tandem ordo poſtulat, ut contemplemur judi-

judicia eorundem, atque actiones prorſus ſingulares.

§. 1. Excutiuntur hic conventiones nauticæ, uſuræ & contractus, variæque quæſtiones tàm civiles quàm criminales, quibus recepta methodo leges ex *Naval. Rhod.* aliquot præmittimus, & quidem ex *L. 1. qui anchoras furto è navi ſubtraxerit tormentis ſubjicitor, & damnum factum reſarcito.*

Ibid. *Si quis funes cannabinos, vela &c. rapuerit, quadruplum reddito. l. 5. & 7. ſi nautæ aliter contenderint, quam verbis, & vulnus infligatur, mercedes medicorum & operæ neglectæ æſtimationem præſtanto.*

l. 6. Ejus qui primus vulneraverat, cædes impunita eſto.

§. 2. Refertur *in VVeicbilt. artic.* 9. negotiatores ſollicitaſſe Cæſarem; ut jus altius commerciorum concederet, quod factum eſſe, teſtantur hæc verba. *Atque tunc Rex conceſſit illis alia ſublimiora, & talia jura, qualia ipſe quotidie obſervabat in ſua aula.* Habuerunt utiq; & tunc temporis, & longe etiam ante, à *Roma* condita ſecundum *Liv. lib. 2.* ſua collegia in quibus jus proprium aliquod conſtituerunt: Rata autem eſſe, quæ à licitis collegiis inter collegiatos exhibentur probatur *ex l. 2. in fin. C. de Conſtit. pecun. & concedunt Dd. communiter ad l. 2. in fin. C. de juriſdict. omnium judic.* Etiam ſingularia; ſingularia namque quædam recepta ſunt inquit *Ulpian in l. 15. ff. de reb. credit.* ibidemque Dd: communiter. Nec certe iniquum eſt,

ut cauſæ mercatorum cognoſcantur ab earum rerũ peritis. Notandũ tamen ut ne extendantur hæc ultra ipſorum commercia, in cæteris enim fidem ipſis adhibere abſurdum eſſet *per not. à Johann. Andrea ad ſpec. tit. de inſtrument.* §. *nunc dicendum n. 4. ad verb. ſi œconomus: Rom. conſil. 205. n. 3. incipit in punct. propoſit*; quo facit etiam *textus ſingularis in l. 3. §. ad hoc edict. vers. eodem modo ff. naut: caupon. vid. Gail. lib. 1. obſerv. 20.* Exemplum hujus rei luculentum extat in ſæpe *citata tranſactione Regis Angliæ & Archiduc*: ubi, ſi lites ortæ ſunt ſtapulam concernentes, primo die Maji proximè futuro conveniant Deputati Mercatorum utriuſque partis, in *Villa Caleſiæ*, rem compoſituri, quod ſi componi non poſſit, tum hinc ad ultimam inſtantiam i. e. cognitionem principum devolvatur *cap. 33.*

§. 3. Summo loco utique habendum eſt, quod in ipſorum curia non opus ſit de apicibus juris *cognoſcere Gail. d. l.* ſed ibi ſimpliciter veritas negotii attendatur. *Bald. Conſ. 40. n. 10. lib. 5. marant. parte 4. diſt. 9. n. 166.* deq; æquo & bono judicetur. *Zaſi. Conſil. 15. n. 53. volum. 1. Bald. Conſ. 139. n. 8. volum. 1.* & ſummarie velato velo, id eſt de ſimplici & plano procedatur *l. ſi colon. C. de agricul. & cenſit. verbo celeri reformatione, per text in §. fin. in Authent. de fidejuſſ. gloſſ. & Angl. ibid. Bart. in d. l. ſi fidejuſſ. §. quædam ff. mandati.*

§. 4. Proceditur autem hunc fere in modum, litis conteſtatione miſſa *Bart. in d. l. fidejuſſ.* libelli item oblatione neglecta *ſtracb. de pet. merc.* infertur libellus ſeu petitio generalis haut obſura tamẽ ne reo facultas deliberandi ſeq; defendendi præcidatur *Rot. deciſ. Gen. 21.* Talis tamen quæ ſecundum *ſtracb. d. l.* immunis ſit ab omnib9 juris apicib9 & negotii veritatẽ nude exprimat

Ubi

Ubi ad probandum deſcenſum eſt; ſemiplenas probationes ſufficere, exiſtimat *Zaſ. d. conſ. 15. n. 51.* Cætera, ita nos maturandum eſſe, ne veræ probationes merita cauſæ reſpicientes negligantur, ſtatuimus *per text. in l. bon. fid. 3. depoſit. Clement ſæpe de V.S. in verbis, non tamen ſic litem acceleret judex quin veræ probationes & defenſiones admittantur. Rota Genev. deciſ. 173. n. 8.* pari modo in hoc proceſſu exceptionibus ordinem proceſſus ſpectantibus nullus locus relinquitur: *Aretin. in l. ſi ſervus. §. ſequitur de V.O.* excepta unica quæ de legitimatione perſonarum opponitur, hæc enim & in quocunque foro opponi poteſt. *Lanfr. in d. clement. ſæpe, in verbo & figura de V.S.* ceſſat itaque hic exceptio non numeratæ pecuniæ *Jaſon. l. qui pecun. num. 6. ff. ſi cert. petat. Weſenb. conſil. 31. nu. 23.* excuſſionis *per text. in d. §. fin. Authent, de fidejuſſ. gloſſ. & Angel.* ibid. *Bald. & Salicet. in l. fruſtra C. de non numerat. pecun. vid. Gail. ſecunda obſervat. 27. n. 27.*

§. 5. Scripturas mercatorum licet privatas, tamen ſecundum eorum ſingularia ſtatuta eſſe Authenticas ſupra dictum eſt; Conſuetudo enim ita facit, cum aliàs non eſſent. *Gail. 1. obſ. 119. n. 4.* Harum itaque Apodiſſarum vigore executive procedi probat *Mandoſa* per ſtatuta *Florent. Genuvens, Venet. Frider. lib. 2. de mandat. c. 70. n. 2.* Idque pluribus in locis *Germaniæ* ita obſervari ut in *Auſtria, Saxonia item, & Thuringia*, imo tantæ autoritatis eſſe & obſervantiæ, ut non nullibi à debito liquido & confeſſato contra proprium chyrographũ appellare non liceat, idque obtinet in patria mea, item *Lubecæ, Hamburgi, Friderici* ibidem. Notandum porro eſt, quod adhuc quædam particularia ſtatuta ſint, de iis quæ in ipſa navigatione & intra navim commiſſa ſunt, quibus nautæ Magiſtro tenentur, ut & vectores

reliqui, verbi gratia. Si quis Deum blaſphematus eſt, ſolet ad malum fuſtigari miriſque modis ludificari, & in hiſce & ſimilibus magiſter judex eſt, cui coercitio modica permittitur. *per l. 5. §. 3. in fin. ff. ad L. Aquil.* & ad eam *Montaluc in Partit Hiſpan.* In gravioribus autem cauſis tam civilibus quam criminalibus, iudex proximus eſt portus primi ubi appellitur. *Montaluc. ibid. & Rutger. Rul. in d. tract. de commiſſar. & commiſſion. Cam. imper part. 4. lib. 2. c. 9.* Ubi omnino videndus eſt, quod prolixe tradat pariter & exquiſite quomodo quæſtiones heic ſint informandæ.

§. 6. Judicio conſtituto formaque procedendi partem demonſtrata maximam trademus breviſſime, quæ nam cauſæ & actiones heic expediri ſoleant. Siſtit ſe loco primo Quæſtio *uſuraria* de qua etiam ſupra dictum. Et hæc quod licite intentetur probatur *per l. 1. l. nihil intereſt 4. l. periculi. 5. ff. de nautic. fœnor. l. 1. & 2. eodem, ibidemque Butrio. Bald. in l. 1. C. de ſumma Trinit.* idque propter periculi ſuſceptionem, quod eodem momento ad creditorem ſpectat, quo navigare ceptum eſt. *l. 3. eod. & l. in nave Naupbeli* ibidemque *Paulus de Caſtr. ff. locati. Alexandr. in l. à Titio Col. 1. ff. de V. O. de jure Pontificio vero LL. Civiles per cap. ult. de uſuris Naut. quod Gregor. IX. tribuitur,* eſſe correctas, conſtanter negamus, quicquid in contrarium afferat *Hoſtiens. in ſumma Tit. de uſur.* §. *in aliis autem,* quem refutatum vid. apud *Covarruviam Tom. 2. variar. reſol. lib. 3. c. 2. n. 5.*

§. 7. Veniunt heic præterea expediendæ actiones inter excercitorē & Magiſtrum. Nautas atque vectores, quæ verſatur inter Magiſtrum & excercitorem *Excercitoria* dicitur; & à *Paulo de Caſtro* in *Dativam* & *Nativam* diſtin-

diſtinguitur. Qua contra excercitorem experimur *Dativa* vocatur & *Prætoria*, quod à Prætore conceſſa, ex contractu cum Magiſtro celebrato, in Excercitorem, idque in gratiam contrahentium *l.1.pr.ff.excerc.action.* non excercitoris, qui habet tempus inveſtigandi, bonus ne an malus ſit, quem velit prop o nere, unde & poſtmodum imputabit ſibi, quod minus idoneum elegerit, quod cum vectoribus integrum non ſit, cum in procinctu ſunt, hæc ipſis ſubſidiaria competit actio, poteſtate tamen facta eligendi utrum ne velint ea uti, an directo contra magiſtrum ex *conducto* agere *d.l.1.§.17.* In magiſtrum vero quæ datur *civilis* eſt & *nativa*, ex proprio namque contractu naſcitur, & ex *locato* contra eum intendi poteſt, ſi mercede operam exhibet, ſin vero gratuito *mandati d.l* §. *18.* ut ille cedat actiones contra illos, cum quibus contractum eſt; quamvis etiam ſine ceſſione Excercitor poſſit agere, ſi periculum in mora ſit, *ibid. in verbo extra ordinem*: aut ſi magiſter navis filius Excercitoris eſt aut ſervus *per l. expreſſ. 5. h. t.* Diverſas autem haſce actiones eſſe in propatulo eſt, & recte aſſerit *Paul. de caſtro, ad h. l.* Ad nautas reliquos *Dativa* hæc non extenditur, licet factũ eorundem præſtet excercitor, quod periculo ſuo adhibuerit *l. fin. pr. ff. Naut. Caup.* Alia enim eſt delinquendi, alia contrahendi cauſa, quo ſpectant, quæ ſupra *ex LL. Græc. Navalib. Juſtiniani* adducta ſunt. Naucleri ex contractibus nautarum non obligantur, ex delictis tamen eorum, qui navis navigandæ cauſa in nave ſunt, tenentur, quibus *adde l. 1. §. ſed ſi cum quolibet nautarum 2. ff. de excerc. act.*

§. 8. Hanc ſequitur *actio in factum* quæ eſt perpetua *l. 3. §. 1. l. 6. §. 8. Naut. caup.* & à prætore datur in

 excer-

excercitorem dupliciter, de *receptis* prima, ubi recipit in ſeſe rem cujuſque ſalvam fore, tunc enim tenetur, niſi quid damno fatali, utpote naufragio contigerit *d. l. 3. §. 1. Naut. Caup.* & quidem tali caſu qui præcaveri non potuit. Secus enim non excuſatur *d. l. 3. §. 1. l. ſi vendita 11. de periculo rei vend. l. 52. §. damna ff. pro ſocio.* Sed obligatur, non tantum de illatis *per d. l. 1. §. ult. Naut. Caup.* Sed & de nondum in navem receptis. *l. 3. pr. eod.* Excipit tamen etiam alium caſum *Ulpianus* quando excercitor expreſſe renuntiat, quibus tacẽs obligatur, nimirum cum edicit, ut vectorum quiſque res ſuas ſibi ſervet, nec enim damnum ſe præſtiturum; ut tunc, ſi conſenſerint, non conveniatur. *l. fin. verſ. itẽ ſi prædixerint. eod* Altera illa eſt *ex maleficio* non quidem vero *ſed quaſi ex malefic. §. ult. inſtit. de obl. quæ ex quaſi delict. l. 5. §. ult. ff. de O & A.* obligatur enim hic nauta non ex ſuo, ſed ex alterius delicto, puta ſi furtum factum eſt à Nautis, cujus delictum præſtare tenetur Exercitor, quod ſuſpicione maleficii alienus non ſit, qui rectius de hiſce non proſpexit *d. §. pen. de obl. quæ ex quaſi delict.* Datur vero, quando ex priori de receptis reſtitutio ſecuta non eſt in duplum *l. 7. §. 1. Naut. Caup. l. un. ff. furti adverſ. Nautas.* Et hæc, ut ut eſt perpetua (exemplo furti & *L. Aquil.*) *per d. l. un.* non tamen tranſit in hæredes, cum pœnalis ſit *Weſenb. in parat.*

§. 9. Actio ad vecturam conſequendam vecalis præter cæteras eſt, & nunquam non vigilanti ſtudio volvitur, efficiunt id caſus multivarii, quibus navigantes diſtinentur. Ita, num, ſi mulier in nave peperit, pro infante aliquid debeatur, olim diſputatum eſt, & nihil deberi reſpondet *JC. Ulpian. l. 19. §. 7. ff. locati*, cum neque vectura ejus nimis magna ſit, neque his omnibus

bus utatur, quæ ad navigantium uſum parantur, idem quod in mortuo obtinere, niſi actum ſit, putat *JC. Paul. pr. ad L. Rhod. de jactu.*

§. *10.* Habent porro locum in hoc judicio. Actio de dolo *l. 14. de præſcript. verb.* actio ad merces amiſſas recuperandas *l. ult. § 1. ad L. Rhod.* Actio pro ſocio, in plures excercitores *l. 3. de act. excerc.* Actio in rem verſo §. 5. *Inſtit. quod cum eo qui in alien. l. 6. pr. de exercit. action.* Et quæ de criminibus intra Navim commiſſis inſtituuntur, ut eſt furti, de quo jam *ſupra ad edict. prætor. Naut. Caup.* Spectant quoque huc, quæ ſtatim ab initio hujus partis tertiæ *ex LL. Navalibus Rhod.* allata ſunt, in quibus etiam tormentis ſubjici jubentur, qui anchoras furto e navi, quæ in portu eſt, ſubtraxerit, & qui armamentorum quid abſtulerit, quadruplum reddere. Si quis vulnus inflixerit, mercedem Medicorum præſtare. multoque plures aliæ, quarum viſis, quæ videbantur præcipuæ, prolixiorem tractationem merito ſuſpendimus. Unicam illam nec ignobilem, quam ſupra promiſimus, de in *mari inventis* quæſtionem coronidis loco affigentes.

§. *11.* Mare eſſe liberum & flumina, jamdiu deſitum eſt credere, adeò ut ſupervacuum ſit hac de reconfligere. Sane Reſpub. *Veneta* adeò dominium maris Adriatici ſibi appropriat, ut etiam Ducibus ſuis noviter electis ſolenni ritu coronatis hoc ſeu ſponſam ſibi deſponſare jubeant, injecto annulo in Symbolum veri atque perpetui Imperii, referente *Caſpar. Contar. l. 1. de Republ. Venet.* Poterunt circa hanc materiam Dd. con-

§. 12. Quouſque autem à littore illud dominium extendatur, in definitum hactenus eſt, pro indefinita potentia, qua pars maxima maritimorum principum utitur. ſecundum *Bald. tamen in rubr. de R.D. & in l. cum proponis de Naut. fœn.* princeps 60. milliaribus accedentibus ad littus jus & leges præſcribere poteſt, & ita judicatũ eſſe in cauſa *Ducis Allobrogum ex Cacher. in dec. Pedemont deducit Bodin. 1. de Rep. c. 10. Secundum Bart. vero in tr. de inſul. 100.* milliaribus à littore leges præſcribere poteſt. Secundum alios largius ſtrictius conceditur ſpacium. Jam extendat ſe eorum poteſtas quo poſſit uſque, nihilominus bona naufragorum ipſorum fiſco cedere, etiamſi conſuetudo ſit in contrarium, negabimus, quod lex expreſſe eam reprobet. *gl. & Bartol. in l. 2. in fin. C. quæ ſit long. conſuetudo & l. 9. ad L. Rhod. de jactu, ubi imperator. Ego quidem mundi Dominus.* quod ſi eſt E. & maris. E. etiam leges ejus tam mari quam terra obſervandæ, puta in diſtrictu Imperii, *αὔξησις* enim illa eſt aliquantulum reſtringenda. Cum itaque reprobet expreſſe inibi conſuetudinem hanc, qua naufragorum bona tanquam derelicta rapiebantur, etiam nulla conſuetudo introduci poteſt, quæ legem hanc vinceret, ut *hic* & in *Auth. Navigia C. de furtis* Ubi omnes etiam conſuetudines in contrarium tam præſentes quam futuræ tolluntur per generalem clauſulam, NON OBSTANTE. quam in principe ſufficere, utpote qui omnes illas articulatè ſcire & enumerare non teneatur, affirmat *Bald. ad d. Authent. in pr.* Adde quod nullæ conſuetudines irrationabiles valere queant *l. quod non ratione ff. de LL. d. l. un. quæ ſit long. conſuetudo.* jam vero rationi nihil magis videtur contrarium quam calamitatem augere & afflicto afflictionem addere *l. Divus. ff. de offic. præſid. l. tam. dementis.*

28. C.

28.*C.de Epiſc. audient.* Cũ quibus piiſſime conſentit Imrator Conſtantinus *in l. 1. C. de Naufrag.* ubi ſi quando naufragio navis expulſa fuerit ad littus, ad dominos pertineat. Fiſcus meus ſe non interponat Quod enim jus fiſcus habet in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendia ſectetur, *adde gl. ad h. t. & text.* pulcherrimum *in l. ne quid ex naufrag. ff. de incend. Naufrag.* Adeo ut crudelis prorſus videatur illa adulatio *Palphurii,* qua omnia tribuebat *Domitiano* quæ in mari inveniebantur. de quo *Juvenal. in Satyr. 4.*

Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato,
Quidquid conſpicuum pulchrumq; ex æquore toto,
RES FISCI EST UBICUNQ; NATAT.

§. 13. Cui parum faceſſit negotii quod objiciunt JCti quidam ex *d. l. 9.* probari poſſe Imperatorem non eſſe Maris Dominum *ſed L. Rhod:* idque particulam adverſativam δὲ operari, qui merito ridentur ab *Alciato c. 15. diſpunctionum* negante, quod particula δὲ ſemper ſit excluſiva, quem egregie adjuvat *JCtus Gallus Samuel Petitus. Miſcell. lib. 3. c.* 11. ubi ita, non negat, inquit *Antonius* ſe maris Dominum eſſe, ut non poſſit leges dicere iis, qui navigant: vides enim velle jus dici Eudæmoni & publicanis, qui in Cycladibus Inſulis *ex L. Rhod.* neq; idem dicit ſe ita teneri *hac lege Rhod.* ut non poſſit omnino ſuccurrere Eudæ-

ptum putat, ita reſtituit. ut pro ὁ δὲ νόμος τῆς θαλλάσσης legatur ὁ δὲ ἄνεμος quaſi voluiſſet dicere, vento & turbinibus adeo imperare non poſſum, ut naufragium tuum impeditum fuiſſet, ut ut totius mundi Dominus ſum & obſtrictus id tibi ſuccurrere, & huic correctioni non leve momentum addere Coſmographiam exiſtimat, ἐν τῇ ἰταλίᾳ incuria Librariorum irrepſiſſe pro ἐν τῇ τηλίᾳ in mari Telio ſeu Ægeo. Abſurdum enim eſſet, illos, qui in Italia navem fregiſſent, in Inſulis Cycladibus diripi. At hanc legis correptionem non admittit Seldenius Cenſor rerum nauticarum accuratiſſimus, quamvis illi Coſmographiæ emendatio non diſpliceat, proinde ut defendat etiam ſententiam noſtram, ita diſpungendum textũm hunc eſſe autumat, ut poſt verba hæc: *Ego quidem mundi Dominus*, punctum ponatur, & poſt illa verba. *Sed vero hujuſmodi mos ſeu lex eſt maris*, iterum punctum ponatur ſeu comma. Legit aliter *Grotius hanc legem inſparſo flore*, aliter *Salmaſius in lib. de mod. uſur. c. 4. Ubi* ineptam & abſurdam *Seldenis* lectionem pronunciare non veretur, cui adſtipulatur *Vinnius ad l. Rhod.* cum contra mirificè *Seldenius* placeat *Rivio in fin. lib. 3. Hiſtor. Naval.* Qui ut ut inter ſeſe diſſentiant omnes, in eo tamen conſentiunt, duriſſimam hanc naufragiorũ conditionem vi Imperatoria vel ſublatam planè vel mitigatam eſſe *ſecundum d. l. hanc 9. & l. 1. C. de Naufrag.*

§. 14. Facit nobiscum quoque hac in parte *Ius Canon. c. excommunicatione X. de Raptor. Panormitan. ib. pr.* ubi dicitur ipſo facto eſſe excommunicatos, qui naufragos ſpoliant, convenit item *conſtit. criminal. Carol. V. c. 19.* & contra haſce peſſimas conſuetudines mandata ſine clauſula decreta eſſe in cauſa *Hamburgen-*

genſiū cōntra *Duces Holſatiæ*, teſtatur *Gail. 1. Obſ. 18. in fin.* (ubi tamen etiamnum contrarium obſervari recte memini) ſane *in dicto tractatu mutui commercii* inter *Regem Angliæ* & *Archiduc: Auſtriæ*, qui prodiit *ex Bibliotheca M. Zverii Boxhornii*, per quam ſalutariter proviſum eſt navem frangentibus *c. 24.* ut ſi contigerit navem prope portus, limites, aut coſteras alterius partis (bey den Cuſten) frangi, licet in ea navi nec vir, nec canis, nec catous vivus remanſerit, bona tamen & Mercandiſæ, quæ ad terram applicabunt, vel aliter ſervari contingit, non dicantur confiſcata, ſed per officiarios, per unum annum & diem integra conſerventur, ut, ſi intra hunc terminum proprietarius ſupervenerit, ipſi ſine difficultate reſtituantur, ſolvendo tamen rationabiles expenſas & cuſtodibus ſalarium competens *σῶςρα* ſcil. quæ vocantur *droit de ſalvage.* In *Hollandia* res deperditæ intra annum & 6. ſeptimanas, impenſis ſolutis, quæ fortè factæ ſunt, rerum ſuſceptoribus cum mercede mediocri cuſtodiæ nomine, repetuntur. *Grot. lib. 2. introduct. ad Juriſpr. Batav. c. 4.* Quid vero ſi inventa in mari pro derelictis cenſeantur? Hoc non poſſe dici impedit jactantium intentio. Non enim abjiciuntur ut ea quis habere nolit, ſed ut mortis periculum effugiat *per l. 8. h. t. l. 7. ff. pro derelict. l. 21. §. 1. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Unde ſi quis ea abſtulerit lucrandi animo, furtum commiſiſſe dicitur *per l. ſi quis ex Naufrag. de incend. & ruina. JCtus Paul. in l. pædius. eodem.* ubicunque enim illa ſunt dominorum manent, nec eſt dubium ſi poſſint eas repetere,

d. lib. 1. c. 3. de republ. ut qui portum habent eandem crudelitatem tam in cives quam in peregrinos exequantur. Certe *ex conſtit. Ludov. XII. & Henric. 3. Regum Gall.* horum Naufragorum miſeria fiſcus locupletandus eſt. *Platea. & Luc. de penn. ad l. 1. C. de Naufrag. Afflict. deciſ. 59. Benedict. ad cap. Reinut. verbo uxorem Adalaſiam n. 317. Argentr. in conſuetud. Britann. artic. 55.* niſi intra duos menſes repetantur, ita ut tertia pars fiſco, tertia Ammiralio, tertia urinatoribus concedatur *Anton. Morlac. in l. 2. in fin. h. t.* qui tamen hocce tempus ampliare vult ad annum atque diem. *Rebuffus vero ad conſtit. Reg. gloſſ. proœm. 174.* ſcribit ex conſuetudine generali, jacta pro derelictis haberi & occupari, adeo ut ſi nunc temporis de jure ipſorum quæſieris. *Errorem jus feciſſe*, reſpondendum ſit cum *Bodino*: *d. loc.* ubi exemplum producit, de legato Cæſaris, qui apud Henricum II. Francor. Regem queſtus duas naves ad littus ejus adjectas *à Jordane Urſino* captas, eaſque reſtituendas petiiſſet, ab *Anna Mõmorantio* Magiſtro equitũ, reſponſum tulerit, jure gentiũ ad principes, qui littoribus præſunt, pertinere. Et hac fini *Andream Doriam* eadem de cauſa queri ſuperſediſſe. Plura qui volet, circa hanc materiam ſæpe citatos autores evolvere non gravabitur. Nos epiphonematis loco addimus quæ graviſſime pariter ac religioſe ad conſtitutiones illas Regias commentatus eſt *Covarruv. Tom. 1. Relect. c. peccatum de R. J. in 6. part. 3. §. 2. de theſauri invent. jure. §. 1. n. 5.* ubi ita, *hanc conſuetudinem quod attinet, ego ingenue fateor, me prorſus juxta æquitatis & juſtitiæ rectitudinem non percipere, qua poſſit ratione ea defendi. Nam iniquam eſſe non dubito, nec video ex qua cauſa dubitari poſſit. Quid enim obſecro naufra-*

fragus miſer fecit, ut dignus ſit amiſſione rerum, quæ ad ipſum lege naturæ pertinent. Quid item principem Chriſtianiſſimum movere poteſt, ut tam impiam & crudelem conſuetudinem probaverit, aut eam à judiciis obſervari permiſerit. Et tantum etiam ad partem tertiam. Cui nunc id quod dicendum reſtat, de Negotiatorum Maritimorum privilegiorum amiſſione, vel tribus quod dicitur verbis, appendemus.

Th. XI.

Amittuntur (a) hæc privilegia vel morte (b) vel facto (c).

(a) Nihil enim tam naturale eſt quam eo genere quicquid diſſolvere quo colligatum eſt *l.35.ff.de R.J.* cui optime Cajus adſtipulatur *in l.100.eod.* quando dicit contrario jure omnia perire, quæ jure contrahuntur. Quomodo autem privilegia pereant. *vid.Gail. 2.Obſ.60.*

(b) vel *naturali* vel *civili.Naturalis* ut omnia,ita&hæc ſolvit.*Novell.22.c.deinceps.Civilis*eſt,qua quis ex civium numero ſublatus pro mortuo judicatur, quod fiebat

ff.pro ſocio.Ordinat.Camer.p.2.tit.9.§.2.Gail.2.de p.p.c.12. *Treutl.vol.1.diſp.1.th.2.lit.C.*

(*c*) Factum duplex eſt, *Improbum & deſidioſum. Improbum* eſt quando quis nimium exorbitando privilegiis ſuis abutitur, quod fit, quando vel negotiationẽ ita adminiſtraverit, ut ipſi pœnæ loco interdicatur negotiatio *l.6.ff.de extraord.Crimin.l.1.in fin.ff.de offic. praef.urb.* aut ſi quandoque & navi & omnibus exuatur, quod fortè pyraticam exercuerit. Aut aliud quid commiſerit, quorum ſupra facta eſt mentio: Fruſtra enim legis implorant auxilium qui contra eam faciunt. Amittunt etiam quando ſua decoxerunt fide labefactata (Die da Banqueroute ſpielen) & hi præterquam quod privilegium amittant *per l.12.C.de ſuſcept.praep. Aretin.& Bald.in Conſil.74.l.8.* de quibus Conſule *politic.Reformationem Auguſt.1548.& Francofurt.1577.* (Von verdorbenen Kauffleuthen.) Pœnis etiam graviſſimis afficiuntur. *vid. Maſticen fallitorum Dann: Sauteri. Deſidioſum* eſt quod in non uſu conſiſtit, per quem privilegia quoque amittuntur *l.35. ff.de Servit.Ruſt.praed.ibidemq. Dd.Communiter.Schneid. in §.poſſidere Inſtit.de interdict.n.165.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA V. EMANUELE

GLORIA SOLI DEO.